caretur, in animo mentientis inſcitia. Quoniam quod eſt in ſermone mendacium, imitatio quædam eſt paſſionis eius quæ eſt in animo, & poſterius procedens ſimulachrum, haud omnino purum mendacium. Nónne ita? Ita prorſus. Ipſum itaque reuera mendacium non ſolùm diis, ſed hominibus etiam eſt odioſum. Mihi quidem videtur. Quid autem ipſum in verbis mendacium, quádónam, & cui adeò vtile eſt, vt nó ſit odio dignum? Nónne aduerſus hoſtes, atque eos qui vocantur amici, quando ob furorem atque aliquam inſcitiam, malum aliquod facinus aggrediuntur? Tunc porro auertendi gratia tanquam medicina quædam vtile eſt? & in his quas modò dicebamus confabulationibus, eò quòd non cognoſcamus in quo antiquarum rerum conſiſtat veritas, aſſimilantes veritati mendacium. Ita enim maximè id vtile facimus. Sic eſt prorſus. Secundum ergo quid iſtorum, mendacium eſt vtile Deo? An quia non cognoſcat vetera, ſub veritatis imagine mentiatur? Ridiculum iſtud quidem eſſet. Poeta igitur mendax in Deo non eſt. Non mihi videtur. An metu hoſtium mentietur? Longè abeſt. An propter familiarium demétiam atq; inſaniam? At nullus ſtultorum & inſanorum, Deo amicus eſt. Non igitur eſt cur Deus mentiatur? Non. Ergo omnino ſine mendacio eſt deorum dæmonúmque natura. Omnino. Quare & ſimplex omnino Deus, & verax dictis ac factis neq; mutatur ipſe, neq; alios decipit, neq; per viſiones, neq; per ſermones, neq; ſignis immittendis, neq; nobis dormientibus, neq; vigilantibus. Ita quoq; mihi ipſi te dicente videtur. Concedis ergo hanc ſecundam eſſe figuram, in qua oportet de diis ita dicere, & fingere, tanquam qui neque præſtigiatores ſint, neq; ſe mutent, neq; mendaciis nos, aut dictis, aut factis ſeducant? Cócedo. Multa igitur ab Iliad. β. Homero dicta laudátes, ſomnium ab Ioue Agaménoni miſſum nequaquá laudabimus. Neque Æſchylum, cùm Thetidem inducit dicétem, quod Apollo in eius nuptiis cecinerat, bonam Thetidis ſtirpem fore longæuam, morbiſq; intactam dicés. Fortunas meas Deo amicas fore, & lætitia me laudationibus ſuis affecit. Atque ego os Phœbi ſperabam diuinú, veridicum, fatidicúmq; eſſe. Ipſe verò idem qui laudabat, in menſa & ipſe diſcumbens, ipſe hæc fatus, ipſe idem meum filium interfecit. Talia quædam quoties de diis dicentur, protinus reclamabimus, exſibilabimuſq;, neque permittemus, vt ludorú magiſtri ad iuuentutis diſciplinam iſtis vtantur, ſi cuſtodes apud nos pij atq; diuini, quoad homini poſſibile eſt, futuri ſunt. Accipio, inquit, equidem hanc formam, próque legibus vbique vtar.

DIALOGVS TERTIVS DE REPVBLICA, VEL, DE IVSTO.

MARSILII FICINI ARGVMENTVM.

Dialogus tertius cuſtodum educationem in ſecūdo inchoatā proſequitur. Atq; ſicut in ſecūdo prohibuit eos audire falſa turpiaq; de diis, ita hic vetat tragica audire de inferis, quæ reddere illos poſſint timidiores. Itē & comica, quæ effuſiorē cōcitant riſum. Tam enim mollis euadit, qui quotidie in lachrymas riſu pfuſiore reſoluitur, quā qui dolore lachrymare cōpellitur. Quoniam verò non ſolùm procul à timiditate cuſtodes arcendi ſunt, verùm etiā ab intemperantia & auaritia, atque iniuſtitia, ideò rurſus audiri vetat carmina poetarum, quibus vel deorū, vel heroū magnorumq; virorū libidines, rapinæ, iniquitateſq; ſingūtur. Hæc autē educatio militaris omnibus ferè ciuibus eſt æquè communis. Inter hæc quæ de mēdacio dicit attēde. Mendaciū ciuitatis calamitas eſt, videlicet quādo priuati inter ſe mētiuntur, maximè verò ſi magiſtratibus mētiantur. Perinde ac ſi ægroti medico, vel nautæ mentiātur gubernatori. Licet autē gubernatoribus interdum vti mendacio ſalutis publicæ gratia, & priuato quādoq; erga priuatū, ſolùm gratia mali cuiuſdā grauiſſimi deuitādi. Licet & cōfabulari moderatè de rebus antiquis, quarū veritas ignoratur, & quaſi per imagines quaſdā res illas, quarū certā formā vix habemus effingere. Proinde orationē in ſpecies tres diſtinguit. Aut enim ſimplex narratio eſt, aut imitatio ſimplex, aut ex vtriſq; permixta. Omnē verò ſermonē reprobat, qui viliſſima quæque refert abſq; delectu, & agit hominē perturbatū. Quiſquis enim diu ſtudioſè aliquid imitatur, in eius trāſit naturam. Quocirca poetā perturbatos animos acrius imitantē, tanquā iuuentuti noxiū iubet vel mutato ſtylo conſtantē habitum imitari, vel ex vrbe procul abire. Dicit quoque eū qui plura, vel imitando, vel faciēdo pertractat, in ſingulis tandem ita deficere, vt in nullo euadat egregius. Pergit verò deinceps ex prima muſica, id eſt poeſi, ad ſequentem, eámque in tres diſtribuit ſpecies. Orationē, harmoniam, atque rythmum. Principiò phthongū muſici vocem vocant harmonicam, id eſt, conſonantiæ aptā, quæ neque adeò grauis ſit, vt nequeat ab eodē cantore grauior fieri, neque tā acuta, vt edi non poſſit acutior. Harmoniam deinde ex phthongis conſtituit, congruam videlicet menſurā in exceſſu atque defectu grauium vocum, & acutarū, atque mediarū. Sunt hic voces quatuor, grauis atque acuta, & ſurgens in acutā, & declinans ad grauem. Itē primæ proportiones quatuor, dupla inter duo atque vnū. Seſquialtera inter tria atq; duo. Seſquitertia inter quatuor atq; tria. Sequioctaua inter nouē atq; octo. Proportionē duplā ſequitur conſonātia vocis octauæ: Seſquialteram, quintæ: Seſquitertiā, quartæ: Seſquioctauā denique tonus. Sed de his alibi diligētius. Accedit tertio loco rythmus, id eſt ordo quidā motionis, & tēporis vt ex ſecundo Legū percipitur. Poſtquàm enim voces harmonica quadā exceſſus defectuſque mēſura per intentionē remiſſionémq; conciliaſti, opus eſt rythmo per quem vocum acutarū grauiū mediarū motus ac tempora metiaris, & in ſingulis, & inter ſingulas. Motus dico blandiores, ſeueriores, & medios. Tēpora dico longiora, breuiora, æqualia, per accentus longos breuéſque & medios. In his nota baſem vocabulum eſſe diuerſum: nam vt res exigit ſignificat, fundamentū, ſedem, pondus, progreſſúmque & terminū. Præter hæc conſiderandi ſunt nouē conſonantiæ, & diſſonantiæ cōmuniſſimæ gradus. Primus in ratione, id eſt opinio cum ipſa rei veritate conſentiens. Cuius contraria eſt opinio falſa à veritate diſſentiens. Secundus in imaginatione. Cuius conſonantia eſt conſecutio rationis. Diſſonantia verò proſecutio externorū. Terti⁹ in affectu vel temperanter rationē ſequente, vel imaginationē intemperātèr. Quartus in ſermone decoro, vel indecoro, quatenus vel rectam rationē, vel imaginationem tumultuariā ſequitur. Quintus in cantu. Cuius conſonantia eſt, decorū imitari ſermonem, diſſonantia indecorum. Sextus in ſono cantum aliter vel aliter imitante. Septimus in ſaltu concinno, vel inconcinno, ad choream pertinente. Octauus in quadam membrorum corporiſque totius compoſitione, tam ſpectaculo grata, quàm exercitio gymnaſtico prompta. Nonus in artificioſis cuiuslibet artis operibus, muſica quadam proportione compoſitis. Hi nouem gradus Muſas tibi referant nouem. Memēto verò optimā omnium harmoniam eſſe animi temperantiam. Quam & ſequentes cæteræ imitantur, viciſſim cùm frequentātur, augēt. Quapropter iubet eas duntaxat conſonātias exerceri, audiri, ſpectari, quæ habitū mentis conſtātem referāt, nō ſuperbia elatū, non iracundia efferatū, non voluptate mollitū atq; reſolutum, non fractū dolore, non miſericordia, vel indigentia querulū. Probat ergo concentū grauem atque conſtantem, improbat autē extremos, id eſt cōcitum atque mollem: damnat quoque multiplicem, laudat præ cæteris ſimplicem. Plurimum verò in animum poſſe indicat harmoniā. Siquidem harmonia quædam diuina ſit animus, cœleſtiq; harmonia aliquādo, vt Platonicè dixerim, aſſuetus. Rurſus harmonia quadam conſiſtit corpus, conflatur & ſpiritus. Præterea conſonantia vocum aer aerum ſpiritum motu penetrans, affectumq; cantātis & animum ſecum transferens, audientis affectū mouet affectu, & animū afficit animo, ſenſimque mores infundit. In omnibus animaduerte quàm nō ciuili ſolùm, ſed etiā religioſa admodū obſeruantia Plato ſuam erudiat ciuitatē, ſemperque quod & præcipit in Politico, temperātiam cum fortitudine miſceat. Denique quàm turpem, quàm diſſonantem eſſe cenſeat veneream voluptatem, ideoque ab amore legitimo procul

eam ſegreget, pulchra ſemper & conſona ſolùm deſiderante. Plurima verò de Muſica tractat atque gymnaſtica. maximi enim momenti erant: omnes enim his incumbebant, debéatque incumbere. Illa enim animum ſpiritúmque, hæc corpus animi gratia mirificè format atque componit. Addit, non ex corpore bono bonum animum, ſed ex animo bono corpus fieri bonum. Subiungit ſimplicē muſicā animi, victūq; ſimplicē corporis ſanitati prodeſſe, multiplicē verò vtriſq; nocere, hominéſq; dū ſobriè viuerēt, nō indiguiſſe medicorum auxilio phyſicorū. Damnat ſuperſtitioſas corporis obſeruationes circa victum, atq; medelas. Signúmque præcipuum ciuitatis malè inſtitutæ dicit eſſe, ſi diligenti medicorum iudicúmque indigeat opera. Deſcribit medici iudicíſque officiū & iudicē eligit ingenio bonū, prudētē, ſenē, multos homines & bonos & malos expertū. Aſſerit prauitatē, quaſi priuationem quādam neq; ſe neq; virtutem cognoſcere. Virtutē verò quaſi habitū, per ſe ſolam cognoſcere ſe, per ſe quoq; addito rerū vſu de vitiis iudicare. Meminiſſe verò ſemper oportet, Platonē nō ſolùm hic, ſed etiā in Legibus, & Politico, & Protagora cōfirmare nihil magis neceſſarium eſſe omni quidē viro, præcipuè verò ciuili atq; philoſophico, quàm copulā ex fortitudine pariter temperantiáq; cōflatam: vt per illam alta petantur, per hāc nō ſpernantur humilia & vtrinq; nihil vnquam nimis, aut audeas, aut metuas. Per illā rurſus priuatas publicaſq; propulſes iniurias, per hanc abſtineas ab iniuria. Per illam ad honeſta vocceris, per hanc cohibearis à turpibus. Quo fit, vt gymnaſticā ſimul & muſicam ad duo hæc deniq; referat, vt per illam fortitudo, nō tam corporis quàm animi, per hanc temperantia cōparetur. Iubet autem ambo ritè inuicem cōmiſceri. Siquidē ſola gymnaſtica parit ferocitatem, muſica ſola molliciem, ambo verò fortitudinem atq; temperantiam. Ex eorum deniq; numero qui ſic educati ſunt eligit & cuſtodes, id eſt magiſtratus, & defenſores id eſt milites. Ad magiſtratū verò aſſumi vult ſenes, prudētes, fortes, publici amatores boni, atque in hoc ipſo per experiētiam cōprobatos. Probari itē præcipit iuuenes in mediis voluptatib. & dolorib⁹, quo diſcernatur, vtrū tēperati fortéſq; ſint, an cōtrà: atq; vtrū ſentētiā boni publici cōſeruādi propter fallacias, aut minas, aut illecebras, ſint aliquādo facilè mutaturi. Deniq; ingenia hominū metallis ſimilia eſſe dicit, & aptum quidem ad gubernandum auro, aptum verò ad militiam argento, ad opificiū verò, & agriculturam ferro, & æri. Iubet ſingula ingenia ad illa quibus apta ſunt conuerti: itaq; gubernatorum filios interdum pro ingenio ad viliora, atq; viciſſim inferiorum filios ad munera nobiliora ſimiliter. Prohibet quoq; milites proprium aliquid poſſidere, ne per auaritiam ex canibus conuertantur in lupos.

HÆc igitur ſunt, vt mihi videtur quæ de diis audienda aut non audienda ſint ab ipſa ſtatim pueritia, his qui deos & parentes honoraturi ſunt, cōmunémq; amicitiam non parui facturi. Exiſtimo, inquit Adimantus, nobis ſic rectè videri. Quid autem his qui fortes futuri ſunt? nónne ea diſcenda, quæ ipſos morté minimè metuétes reddant? an putas aliquem fortem eſſe vnquam, qui hanc timeat? Minimè per Iouem, inquit. Sed & qui ea quæ de inferis dicūtur credat, & terribilia eſſe exiſtimet, putáſne eum intrepidum ad mortem futurú, in ipſáq; pugna mortem ſeruituti & captiuitati præpoſiturum? Nequaquam. Oportet itaque nos, vt videtur, præcepta dare etiam his, qui de his rebus fabulantur, precariq;, ne ita omnino quæ apud inferos ſunt vituperent, ſed magis laudent, tanquam neq; vera dicant, neque vtilia his qui pugnaces futuri ſunt. Oportet ſanè. Delebimus igitur eiuſmodi omnia ab hoc verſu ſumentes exordium: Mallem equidem in re ruſtica conſeruo inopi ſeruire, quam defunctis omnibus imperare. Et illud, Domus profectò mortalibus immortalibúſque horribilis, vaſta, fœténſque Iliad. υ. videatur, quam etiam dij odio habent. & illud, O miſeri nunquidnam apud inferos anima atque imago? At verò mens adeſt nulla. & illud, Soli Odyſſ. κ. Iliad. π. ſapere: cæteri vmbræ volitant. Item, Anima ſoluta membris ad inferos volat, ſuam deplorans calamitatem, cùm & fortem & teneram ætatem reliquerit. Item, Anima ſub terras veluti fumus, eiulans Iliad. ψ. Ody. ω. abiit. Item, Quemadmodum nactuæ vaſto ſub antro vlulantes volant, poſtquá aliquæ de ordine ceciderunt ex petra in qua cohærebát, ſic illæ ſimul ſtridentes ibant. Hæc vtique & cætera talia, bona Homeri & reliquorú poetarum venia abiiciamus, non quia poetica non ſint, & apud multos auditu iucunda, ſed quoniam quantò magis poetica ſunt, tantò minus audienda pueris atque viris, quos liberos eſſe oportet, ſeruitutem magis quàm mortem timétes. Sic eſt omnino. Nónne inſuper nomina quæ his impoſita ſunt, horrenda terribiliáq; abiiciéda ſunt? Cocytos inquam, & Styga, & inferos, & mortuos, aliáq; eiuſdé generis nomina. Terrent vehementer quippe omnes quicunq; audiút. Ac fortaſſe ad aliud quippiá conferút. Nos aút cuſtodibus noſtris ab huiuſmodi nominibus valdè metuimus, ne ex hoc pauore molliores q̄ decet, reddátur. Et meritò formidamus. Auferenda ſunt igitur. Auferéda. Forma verò his contraria dicéda, & inducenda eſt. Videlicet. Ergo lamentationes cómiſerationéſq; illuſtriú virorú auferimus. Neceſſe eſt, ſi quidé etiá ſuperiora. Contéplare igitur, recténe an cótrà id faciamus. Dicimúſne moderatú virú moderato viro amico ſuo morté non graué exiſtimaturum? Dicimus quidé. Nó igitur in morte illius, tanquam grauia paſſi lamétabitur. Nó. Enimverò & hoc aſſerimus, hominé huiuſcemodi ſeipſo ad bene viuendú contentum eſſe, miniméq; omniú alio indigere. Vera narras. Minimè igitur moleſtè feret liberis, aut fratribus, aut diuitiis reliquiſque huiuſmodi priuari. Minimè certè. Itaq; neq; lamétabitur, ſed moderatiſſimè feret, cú in aliquam huiuſmodi calamitaté inciderit. Certè. Meritò igitur clarorú virorú ploratus è medio tolleremus. relinqueremus auté mulieribus, neque his quidē bonis, ac viris inſuper ignauis, vt dedignentur illi quos ad regionis cuſtodiam educamus, ſimilia iſtis facere. Probè. Rurſus Homerú, & cęteros poetas orabimus, ne Achillē deæ filiú nunc in latus cu- Iliad. ω. bantem faciát, núc ſupinú, nónunquam etiá pronú: aut exurgenté errare triſtitia affectú in littore ma- Iliad. σ. ris: aut vtraq; manu ardentem pulueré capienté in caput fundere: neq; alia eiulantem, & lamétantem, quot & qualia ipſe fecit. Neq; Priamú, corá diis ap- Iliad. χ. parenté ſupplicátémq;, & fimo ſe prouoluenté, ſingulóſq; nominatim clamanté. Multóq; magis Homerú eundé orabimus, ne in hunc modú plangen- Iliad. σ. tes inducat, Hei mihi miſeræ, Hei mihi quàm infeliciter optimú filiú peperi. Quòd ſi quos deos, ſalté non deorú maximú vſque adeo diſſimili figura imitari audeat, vt eú ita inducat dicentem, Heu quàm charú mihi virú circa vrbem meis oculis profligatú Iliad. χ. cerno. Vnde mihi cor mœret. Atq; ité, O me miſe- Iliad. π. rum, quandoquidé dilectiſſimú mihi omniú Sarpedoné fatú cogit à Patroclo Menetiade domari. Si enim ô amice Adimante, ſtudioſè iuuenes hæc audirét, neq; ridicula putarent tanquá præter dignitatem dicta, nunquá cú ſe homines eſſe ſcirét, aut illa ſe indigna exiſtimarét, aut ſe continerét, cùm quid illis eiuſcemodi vel dicédum, vel faciendú in menté veniret. Quinimò ſine vllo vel pudore, vel tolerantia, in minimis etiam quibuſque iacturis, in maximos ploratus eiulatúſque erumperét. Vera inquit, loqueris. Neque verò id decet, vt ratio nobis paulò antè dictabat: cui, niſi quid melius interim nacti fuerimus, credendum eſt. Non decet profectò. Sed

neque in riſum nimium profuſos nos eſſe oportet. Nam effuſum riſum vehemens mutatio ſequitur. Ita mihi quoque videtur. Non igitur admittẽdum eſt, quando quis ſummæ autoritatis viros in riſum ſolutos inducit, & multo minus ſi deos. Multò certè minus. Ergo neque ab Homero audiemus talia de diis: Inextinguibilis riſus diis concitatus eſt, dum Vulcanum per domum properantem viderent, vtpote qui claudus eſſet. Iliad. α. Haud admittendum eſt hoc, ſecundum tuum ſermonem. Si meum vis ſermonem hunc ponere, nequaquam admittere decet. Quinetiam multi facienda veritas eſt. Si enim rectè paulò antè dicebamus, & reuera diis inutile eſt mendacium, hominibus autem pro medicamento eſt vtile, nimirum, publicis medicis concedendum, priuatis autem hominibus minimè attingendum. Patet. Igitur rempublicam adminiſtrantibus præcipuè, ſi quibus aliis, mentiri conuenit, vel hoſtium, vel ciuium cauſâ ad ciuitatis vtilitatem. Reliquis autem à mendacio abſtinendum eſt. Sed aduerſus huiuſmodi principes priuatum mentiri, idem ac maius peccatum eſt quàm ægrotum mentiri erga medicum, vel ſe exercentem, erga ludimagiſtrum circa ſui corporis vitia, vel erga nauis gubernatorem, de naue & nautis minimè vera dicere, quemadmodum vel ſua cuique, vel ſociorum ſeſe res habeat. Vera narras. Siquidem ergo deprehenderis alium in ciuitate mentientem ex eorum genere qui artifices ſunt, vatem videlicet, vel morborum medicum, vel lignarium fabrum, eum punito, tanquam rem quandam inferentem, ex qua ciuitatis ipſius, veluti nauis euerſio & pernicies ſequitur. Sic planè agendum: ſiquidem ſermone opera peraguntur. Quid præterea? nónne temperantia noſtris adoleſcentibus opus erit? Abſque dubio. Temperantiæ autẽ nónne hæc talia quò ad ſubditos maxima ſunt, vt videlicet obtemperent magiſtratibus: quò ad ipſos autem principes, vt ad rerum venerearum, epularúmque, & compotationum vſum continentes ſint? Mihi ſanè videtur. Hæc itaque talia bene dicta aſſeuerabimus, qualia Iliad. δ. apud Homerum Diomedes ait. Eia age ſilentio conſide, ac meis verbis obtempera & alia his ſimilia. Iliad. γ. Ibant robur ſpirantes Achiui ſilentio, duces timentes. Et alia quæcunque in hanc ſententiam dicuntur. Iliad. α. Probè. Quid autem hæc? Vinolente, canis oculos habens, cor autem cerui: & cætera quæ ſequuntur, & alia huiuſcemodi priuatorũ in ſuperiores ſuperbè ac iuueniliter dicta, ſiue quis ſoluta in oratione, ſiue in poemate inſerat, an rectè dicuntur? Nequaquam. Non enim exiſtimo ad iuuenum temperantiam hæc, vt audiantur, conferre: nihil autem mirum, ſiquo modo delectent. Vel quomodo tibi videtur? Ita. Quid autem? videtúrne tibi idoneum eſſe hoc iuueni ad continentiam conſequendam, ſiquãdo audierit virum ſapientiſſimum Odyſſ. ι. apud poetam ita loquentem, Pulcherrimum omnium eſſe mihi videtur, cum plenæ ſunt menſæ dapibus carnibúſque. Vinum autem è cratere hauriens pincerna poculis infundit atque circunfert? Odyſſ. μ. Vel illud, Miſerrimum eſſe fame perire, & ſortem ſubire aduerſam? Siue cum dicitur, Iliad. ξ. Iouem cæteris tum diis, tum hominibus dormientibus, omnium quæ vigilando, tractauerat, rerum venerearum cupiditate oblitum, & vſque adeò viſa Iunone perculſum eſſe, vt nec domum venire ſuſtinuerit, ſed ibidem humi congredi ſtatim voluerit, dicens vehementiori ſe cupidine inflammari, quàm olim cùm primùm clàm parentibus inuicem congreſſi fuerunt? Siue cum narratur, Martem ac Venerem à Vulcano vinctos? Odyſſ. θ. & alia eiuſmodi. Non per Iouem mihi videtur idoneum. Verùm ſicubi modeſtè, & conſtanter virorum excellentium facta vel dicta narrantur, animaduertenda & audienda hæc ſunt. Veluti cùm dicitur, Pectus percutiens cor increpuit Odyſſ. υ. dicens, Perpetere, ô cor, nam longè aliàs grauiora tuliſti. Omnino ſic eſt agendum. Neque etiam muneribus corrumpi ipſos ciues permittendum eſt, neque auaros eſſe. Nullo pacto. Non ipſis igitur canendum, *Munera, crede mihi, placant hominéſque, deóſque.* Neque laudandus Phœnix Achillis præceptor, quaſi probè locutus fuerit dum conſuleret Iliad. ι. ipſi munera accipienti Achiuis auxilium ferre: non accipienti verò, ab ira nequaquam recedere. Iliad. τ. Neque rurſus Achillem ipſum dignum exiſtimabimus, conſentiemúſque adeò pecuniæ cupidum eſſe debere, vt ab Agamemnone recipiat munera, atque vt Hectoris cadauer ſine pretio reddere nolit. Iliad. ω. Certè talia laudare non decet, inquit. Vereor equidem, inquam ego, propter Homerum dicere, nempe non eſſe fas hæc de Achille aſſeruiſſe aliíſve aſſerentibus credere. Et eundem rurſus aduerſus Iliad. χ. Apollinem dixiſſe, Perdidiſti me Apollo deorum pernicioſiſſimè omnium, quem certè vlciſcerer, ſi mihi poteſtas eſſet. Item ad fluuium Deum quàm Iliad. φ. peruicaciter ſe habuerit, etiam pugnare paratus. Rurſus alteri flumini Sperchio ſacratis comis, Patroclo Iliad. ψ. inquit heroi, mortuo iam, comam ferendam dabo. Nec credendum eſt hoc illum egiſſe. Tractus autem Hectoris circa Patrocli ſepulchrum, Iliad. ψ. & iugulationes captiuorum ſupra rogum, cunctáque huiuſmodi, neque vera eſſe affirmabimus, neque ſinemus noſtris perſuaderi, quòd Achilles deæ filius, & Pelei temperatiſſimi viri, & ab Ioue tertij à Chirone ſapientiſſimo educatus, tanta perturbatione plenus fuerit, vt duobus contrariis morbis animi laborauerit, illiberalitate cum auaritia, atque item deorum hominúmque contemptu. Rectè admodum loqueris. Rurſus neque hæc credamus, neque dici ſinamus, Theſeum Neptuni filium, & Pirithoum filium Iouis in rapinas adeò maximas irruiſſe, neque alterius dei filium ſiue heroem auſum eſſe vnquam tam grauia impiáque patrare, qualia de his quotidie mentiuntur. Verùm poetas ipſos cogamus, vel negare horum hæc eſſe opera, vel non affirmare filios deorum eſſe: ambo verò hæc ſimul nequaquam aſſerere, neque operam dare, vt noſtris iuuenibus perſuadeant, quòd ex diis mala aliqua oriantur, quódve heroes hominibus nihilò meliores ſint. Quoniam, vt iam dictum eſt, neque ſancta hæc ſunt, neque vera. Oſtendimus enim, ex diis mala prouenire non poſſe. Oſtendimus planè. Quinetiam audientibus hæc nocent. Omnes quippe prauitati ſuæ ignoſcent, perſuaſi, talia quædam facere, feciſſéq; & illos qui proximè ex deorum genere nati ſunt, Ioui propinqui, quorum circa idæum verticem Iouis patrij ara extat in æthere, & nequedum ipſis euanuit ſanguis deorum. Quamobrem fabulæ huiuſmodi reprimendæ ſunt, ne facilem occaſionem ad nequitiam noſtris adoleſcentibus præbeant. Sic prorſus agendum. Quæ deinceps reliqua nobis ſpecies eſt ſermonum, differentib. quales cuique narrandi, vel non narrandi ſint? De diis enim quemadmodum loqui

loqui decet eſt dictum. Itémq; de ipſis dæmonibus & heroibus, & his quæ ſunt apud inferos. Satis abundè. An eſſet fortaſſe reliquum, vt de hominibus diceremus? Certè. Impoſſibile iſtud in præſentia, ô amice, ſtatuere. Cúrnam? Quoniam exiſtimo nos dicturos, poetas oratoréſq; de hominibus circa ea quæ maximi momẽti ſunt perperam dicere, Iniuſtos quidem multos felices eſſe, iuſtos autem infelices, conducereq; iniuſte agere, ſi id lateat. Ipſam verò iuſtitiam aliis quidem vtilem eſſe: habenti verò pernicioſam. Hæc inquã, & cætera huiuſmodi nos vetaturos eſſe ne dicant, contraria verò, vt canant & fabulis inſerant, mandaturos eſſe puto, an non? Certè noui. Nónne igitur ſi confitearis rectè me dicere, dicam te conceſſiſſe, quæ iãdiu quęrimus? Rectè, inquit, cenſes. Nónne & de hominibus, quòd talibus oporteat ſermonibus vti, tunc concedemus, cum qualis iuſtitia ſit inuenerimus, & quòd natura ipſa proſit habenti, ſeu videatur eſſe iuſtus, ſiue non videatur? Vera loqueris. De his ergo quæ dicenda ſunt, quæve non, ſatis eſt diſputatum: deinceps de dicendi ratione, vt arbitror, eſt differẽdum, atq; ita nobis, & quæ, & quomodo dicẽda ſint compertum erit. Quid dicas, inquit Adimantus, non ſatis intelligo. Oportet tamen id te intelligere inquã, atque ita fortaſſe clarius hoc intelliges. An non quæcunque à poetis, vel fictoribus fabularum dicũtur, narrationẽ eſſe dicimus, vel præteritorum, vel præſentiũ, vel futurorum? Quid enim aliud? inquit. Num ergo vel ſimplici narratione, vel per imitationem facta, vel etiam vtroque modo narrant? Clarius inquit, hoc quoque exponi requiro. Ridiculus inquit, equidẽ præceptor, & in primis obſcurus videor. Quemadmodũ igitur qui dicẽdo parum valẽt, efficere ſolent, ita ego nunc, non vniuerſum ipſum, ſed partẽ aliquã ſumens, in ea tibi quod volo, conabor oſtendere. Et Iliad. α. primùm mihi dic, noſtin Iliados principia, in quibus ait poeta, Chryſem Agamemnoni ſupplicare, vt ſibi filiam reſtitueret. Hunc autem ſuccenſere. Quod poſtquàm non impetrauit, imprecari contra Achiuos Deum? Equidem. Et illud credo noſti, quòd vſq; ad hos verſus, Precatus eſt omnes Achiuos, in primis Atrei filios, gentium duces: ipſe poeta loquitur, neque tentat aliò mentẽ noſtram conuertere, tanquam alius quàm ipſe loquatur. Deinceps verò ita loquitur ac ſi Chryſes ipſe ſit, conaturq; non Homerum ſe nobis, ſed ſacerdotem illum ſenem oſtendere. In cæteriſque ita ſemper exponit, tum rebus geſtis apud Ilium, tum apud Ithacam, tũ quæ in Odyſſea acciderunt. Sic eſt omnino. Nónne igitur narratio eſt, & quãdo orationes continuas affert, & quãdo ea quæ inter ipſas intercedũt? Quidni? Verùm cum orationẽ profert tanquã alius quidam ſit, nónne tũc dicemus orationẽ ſuam ei quàm ſimillimam reddere, quem loquẽtem introduxerat? Quidni dicamus? An non alteri ſe ſimilem reddere vel figura, vel voce, eſt eum imitari cui facit ſe ſimilem? Proculdubio. In hoc igitur, vt videtur, & ipſe, & reliqui poetæ per imitationem narrant. Aſſentior. Vbi autem ſe nõ celat poeta, vniuerſa illa poeſis & narratio ſine imitatione eſt. Ne autem dicas te neq; hoc quidem intelligere quomodo fiat, ego dicam. Si enim Homerus cùm dixiſſet, Chryſem veniſſe filiam redempturũ, & ſupplicaſſe Achiuis pręcipuéq; regibus, deinceps non tanquã Chryſes, ſed Homerus eſſet locutus, noſti profectò imitationem illam non fuiſſe futuram, ſed ſimplicẽ narrationem. Sic verò ſe res habuiſſet. Dicam enim ſine verſu, cũ nõ ſim poeticus. Profectus ſacerdos precabatur, vt dij eis darent, vt incolumes ipſi Troiam caperent, ſibiq; acceptis donis filiã reſtituerent, Deum Apollinẽ venerantes. Hæc cùm dixiſſet, reliqui ſacerdotis dicta probarũt. Agamemnon verò efferatus, ipſum protinus abire, neq; poſteà redire iuſſit: neque enim ipſi dei vel coronam, vel ſceptrum profutura: aſſeruitq; priuſquam ipſi filiam redderet, fore vt illa ſecum in Argo conſeneſceret. Quamobrem abire cũ iuſſit, ſeq;, vt ſaluus abire poſſet, non irritare. Quæ cũ audiſſet ſenex, extimuit, tacitúſq; diſceſſit. Caſtra autem egreſſus, ſupplex Apollinem multis verbis eius agnomina cõmemorans, orauit, ſi quid vnquã aut in ędificandis templis, aut hoſtiis litandis illi gratũ feciſſet, vt puniret Achiuos, ſuáſq; lachrymas ſagittis vlciſceretur. Hunc in modum, ô amice, ſimplex narratio ſine imitatione fit. Intelligo iam. Et illud præterea ſcito, contrarium huic eſſe, cùm remotis poetæ verbis, quæ inter orationes intercedere ſolent, orationes ipſæ viciſſim continuatæ relinquuntur. Id quoque intelligo. Eſt enim & in tragœdiis quiddam ſimile. Rectè admodum accepiſti, exiſtimoq; tibi iam nunc aperire, quod anteà non valebam: poeſim videlicet, fabularúmque figmẽta, aut eſſe omnino per imitationem, quemadmodum ipſe dicebas in tragœdia atque comœdia: aut per enuntiationẽ ipſius poetæ, quod maximè in dithyrambis inſpicitur: aut per vtraque confici, vt in heroicis, aliíſque multis apparet, ſi modò intelligis. Intelligo iam quod tunc dicere volebas. Atqui etiam ante hoc memento, quòd dicebamus quæ dicenda eſſent iam dicta eſſe: quo autem modo dicenda eſſent, deinceps conſiderandum eſſe. Memini quidẽ. Hoc igitur erat, quòd oportere dicebam inter nos conuenire, vtrum ſinamus poetas imitatione perpetua vti, an partim imitari, partim minimè, & qualia vtraque ſint, an nihil penitus imitari. Auguror equidem conſideraturum te, vtrum recipienda ſit comœdia, & tragœdia in ciuitate, nécne. Fortaſſe inquam: & his etiam plura. Nondum enim noui: ſed quà oratio vt ventus feret, hàc eundum eſt. Pręclarè loqueris. Hoc igitur, ô Adimante, conſidera, vtrùm imitatores nos habere cuſtodes oporteat, nécne: vel etiam hoc ex ſuperioribus pendet, quòd ſinguli ſingula rectè conficere poſſunt, plura verò minimè: quòd ſi quis plura tractare aggrediatur, in ſingulis ita deficit, vt in nullo euadat egregius. Sic prorſus accideret. Nónne & de imitatione eadem ratio, quòd plura aliquis æquè ac vnum bene imitari non poteſt? Non certè. Vix igitur ſtudio alicui æſtimatione digno quis ſimul incumbet, & imitabitur multa, eritve imitator idoneus, quando neque duas quidem imitationes, quæ parum differre inter ſe videntur, iidem homines bene ſimul tractare poſſent, vt comœdiam ſimul & tragœdiam. An non imitationes quaſdam paulò antè iſtas eſſe dicebas? Equidem, ac vera dicis, quòd iidem nequeant. Neque etiam rhapſodi, (id eſt cantores heroicorum,) ſimul eſſe, & hiſtriones poſſunt. Vera. Sed neque hiſtriones iidem ſunt cum tragœdis au comœdis. Hæc autem omnia imitationes quædam ſunt, an non? Imitationes. Quinetiam in minora his videtur, ô Adimante, natura hominis eſſe conciſa, vt nullo modo poſſit bene plura imitari, vel etiam ea facere, quorum imitationes ipſæ ſimilitudines quædam ſunt. Eſt vt dicis.

dicis. Si ergo rationem ſuperiorē ratam haberi volumus, cuſtodes noſtros à reliquis omnibus artificiis alienos, patriæ libertatis artifices eſſe oportere, valde quidē ſolertes, neq; aliud quicq̄ curare quod huc nō tēdat, nihil aliud agere eos, vel imitari oportet: vel ſi imitētur, imitari quæ iſtis cōſentanea ſint, ſtatim à pueritia, fortes ſcilicet, temperātes, ſanctos, liberales, & reliqua eiuſmodi: illiberalia autē neque facere neq; imitari poſſe, neq; aliud quicq̄ turpe, ne ex ipſa imitatione tales efficiantur, quale id quod æmulantur. An nō animaduertiſti imitationes, ſi à teneris annis incipiant perſeuerētq;, in mores, & naturā abire, tum quantū ſpectat ad corpus, tū ad vocem, tum ad cogitationē ipſam? Et maximè quidē. Non permittemus igitur vllo modo eos quorū habendā curā dicimur, quóſve præſtantes viros eſſe oportet, cùm viri ſint, mulierē imitari, adoleſcentē, vetulámve, vel marito conuitiantē, vel cū diis cōtendentem, exultantēq;, cū ſe felicē eſſe putet, vel quæ ærumnis circūuenta fleat atq; eiulet, doleat, amore teneatur, dolore partus opprimatur. Minimè id permittemus. Nullo modo. Neque ſeruas, & ſeruos, ea quæ ſeruorū ſunt faciētes. Neq; hoc quidē. Neq; viros itē prauos, vt videtur, timidos, & contraria eorū quę diximus faciētes, cōuitiātes, iurgātes, turpiáque inter ſe obloquentes, ſiue ebrios, ſiue vigiles ſobrióſque, & alia quotcūq; homines iſti & in verbis, & in operibus, tū in ſeipſos, tū alij in alios peccant. Neq; etiā debent, vt arbitror, ſimiles ſe per imitationē, vel verbis, vel actionibus, inſaniētibus reddere. Cognoſcendi enim inſani & mali ſunt, tā viri quā mulieres: nihil tamē ex eorū dictis & factis, vel agendū eſt, vel imitādū. Veriſſima loqueris. Quid autē, artificéſne ex ære aliquid fabricātes, vel aliud quippiā molientes, vel remiges nauium, vel præcipientes iſtis, vel aliud aliquid circa hæc imitari eos decet? Quónam pacto, inquit, cū neq; rebus vllis huiuſmodi mētem adhibere his liceat. Nū equos hinniētes, vel mugiētes tauros, aut fragorē immurmurationēq; fluuiorū, aut maris fremitū, vel tonitrua, vel cætera eiuſdē generis imitabūtur? Atqui prohibitū illis eſt, aut inſanire, aut inſanientibus ſe ſimiles reddere. Si igitur quę dicis intelligo, eſt quædā orationis, & narrationis ſpecies, qua vir optimus, cùm quid dicturus eſt, vtitur: & alia quædā huic diſſimilis, qua ſemper vtitur, qui cōtrà ac ille natus atque nutritus eſt. Quales verò hæ ſunt? Videtur mihi vir moderatus, quádo in narratione deuenerit ad aliquam viri boni vel orationē, vel actionē, perinde ac ſi ipſe ille eſſet pronunciaturus, & ſine vllo rubore, aut dedecore imitationē huiuſmodi ſuſcepturus: maximè quidē, imitans virū bonū, prudenter & ſine errore agentē: rarius autē ac minus, morbis, vel amore labentē, aut ebrietate, aut caſu quouis allio. Quando autē ad aliquē indignum ſe venerit, nolet, vt arbitror, deditā opera ſimilē ſe deteriori præbere, niſi breuiter quidē, & cū boni quicquā peragit: ſed erubeſcet, cū rudis ſit ad hos imitandos, & ægrè feret ſeipſum exprimere, & deteriorum formam induere, animo eos vituperans, niſi fortè ioci oblectamētiq; cauſa id fecerit. Non iniuria. Nónne igitur narratione vtetur tali, qualem paulò antè in verſibus Homeri dicebā? eritq; oratio ipſius particeps vtriuſque, imitationis videlicet, & narrationis alterius? Exigua verò pars in multa oratione imitationis erit? Dicóne aliquid, an nihil? Dicis certè, qualem neceſſe eſt eſſe rhetoris iſtius figuram. Nónne igitur qui talis non erit, quò erit ineptior, & indoctior, eò plura narrabit, & omnia imitabitur, nihilq; ſe indignum eſſe exiſtimabit? Quare omnia imitari aggredietur, & in conſpectu quidē multorū, ea præſertim quæ paulò antè cōmemorabāmus, Tonitrua, fremitus vētorum, & grandinis, axes rotarū tubarum, tibiarum, fiſtularum, & omniū deniq; organorū ſonitus: præterea canū, pecudū, & auium voces. Eritque huius oratio vniuerſa penè per imitationē, & voce, ac geſtu, vel paulum quid narrationis habebit. Neceſſariū quoque iſtud. Atq; hæ ſunt orationis ſpecies duæ, quas ſuprà dicebā. Sunt planè. Nónne ipſarū vna quidem paruas mutationes habet? & ſi quis decentem conſonantiam & rythmum orationi tribuat, fermè ad eandē orationis formam ſemper dicēdum eſt rectè loquenti, atque in vna inſuper conſonantia: exiguæ nanq; mutationes, eodémq; modo in rythmo fermè conſimili? Omnino inquit, ſic ſe res habet. Quid autē alterius ſpecies? nónne cōtrariis indiget, omnibus videlicet conſonantiis, omnibuſq; rythmis, ſi propriè dicenda eſt, cùm multas & varias habeat mutationū formas? Sic eſt omnino. Nónne & omnes poetæ, & alij qui aliquid dicūt, vel harū vna dicēdi figura vtuntur, vel altera, vel vtriſq; commixtis? Neceſſe eſt. Qui igitur faciemus? Vtrùm hac omnes in ciuitate ſuſcipiemus, vel alteram ſimplicium, vel permixtā? Si mea ſentētia probetur, ſimplicē decori imitatricem. Atqui, ô Adimāte, mixta quęq; iucunda eſt: multò autē iucūdiſſima pueris, & pædagogis, itēque vulgò contraria illius quam tu eligis. Iucundiſſima prorſus. At fortè, vt arbitror, reipub. noſtræ conuenire eam non exiſtimabis, quoniam non ſit duplex vir, neque multiplex apud nos, quandoquidem ſinguli ſingula faciunt. Non conuenit certè. Nónne igitur ſola in ciuitate hac coriariū inueniemus duntaxat coriarium eſſe, non gubernatorem præterea? Et agricultorem duntaxat agricultorem, non inſuper iudicem? Militem quoque militem, nō etiam nummularium? cæteróſque eodem modo? Vera hæc ſunt. Siquis ergo in noſtram vrbem venerit. qui animi ſapientia in omnes poſſit ſeſe vertere formas, & omnia imitari, volueritque poemata ſua oſtentare, venerabimur quidem ipſum, vt ſacrū, admirabilem, & iucundum: dicemus autem non eſſe eiuſmodi hominē in repub. noſtra, neque fas eſſe vt inſit, mittemúſq; in aliam vrbē, vnguentum in caput eius effundentes, lanáque coronantes. Nos autem auſteriori minúſq; iucundo vtemur poeta, fabularúmq; fictore, vtilitatis gratia, qui decori nobis orationem exprimat, & quæ dicuntur dicat in his formulis, quas à principio pro legibus tulimus, quando milites erudire aggreſſi ſumus. Ita prorſus, ſi eſſet in nobis, efficeremus. Videmur iam, ô amice, ſatis de ea muſicę parte dixiſſe, quę circa orationes fabuláſque verſatur. Nam & quæ dicēda ſunt, & quomodo, expoſuimus. Mihi quoque idem videtur. Reſtat de cantus & melodiæ ratione differere. Certè. An nō omnes iam inuenirent quę nobis de his dicēda ſunt, qualia eſſe oporteat, ſiquidē antè dictis conſentire debeamus? Tū Glauco arridens, Ego, inquit, ô Socrates extra eos omnes eſſe videor. Non enim ſatis in præſentiā poſſum coniicere, qualia dicenda ſint. Suſpicor tamen. Omnino certè inq̄ ego, primū quidē hoc ſatis dicere potes, Melodia ex tribus cōſtare, oratione, harmonia, rythmo. Hoc inquit poſſū. Nōne melodiæ pars oratio, nihilo differt ab oratione illa, quæ ſine cātu eſt, quò ad hoc, vt oporteat

in eiuſdem formulis exprimi, de quibus paulò antè dicebamus & eodē modo? Vera loqueris. Atqui harmonia, & rhythmus orationē ſequi debēt. Quidni? Quinetiā lamentatione luctúq; dicebamus in orationibus nos minimè indigere. Non certè. Quęnam igitur querulæ harmoniæ ſunt? Dic mihi. Tu enim muſicus es, Lydiæ mixtæ, Lydiæq; acutæ, cæteræq; huiuſmodi. Nónne remouendæ hæ ſunt? Inutiles enim etiā mulieribus, bonis ſaltē, nedū viris. Valde quidē. Præterea vinolentia, mollities, & pigritia cuſtodes minimè decēt. Minimè. Quænā igitur molles & conuiuiorū harmoniæ? Ionicæ & Lydiæ, quæ laxæ remiſſæq; vocantur. His igitur, ô amice, num quoquo modo vteris ad militum vtilitatem? Nullo modo. Sed videtur iam tibi reliqua eſſe Dorica & Phrygia harmonia. Haud equidem, inquam, harmonias noui: ſed eam relinque harmoniam, quæ vt decet, imitatur fortiter euntis in præliū, & ad quodlibet negotiū violentū viriliter ſe gerētis, voces atque accentus, & periclitātis, ſiue in vulnera, ſiue in mortē irruētis, ſiue in aliā calamitatē incidētis, in omnibus iſtis fortunam conſtāter atq; viriliter propulſantis. Aliāq; iterū relinque harmoniam, quæ voces imitatur atq; accentus hominis in trāquilla & minimè violenta, ſed ſpontanea actione verſantis, vel aliquid alicui perſuadentis, vel ſupplicantis, vel votis Deo, vel doctrina & admonitione homini, vel cōtrà hominis alij ſupplicāti, aut docēti, aut diſſuadenti facilem ſe præbētis, & qui licet voti cōpos ſit factus, non tamē ſuperbia efferatur, ſed in his omnibus temperatè & modeſtè ſe gerat, ſortēq; omnē rectè ferat. Has inquā duas harmonias, violentā, voluntariā, infortunatorū, fortunatorū, tēperantiū ac fortiū quæ ſonos pulcherrimè imitabuntur. has relinque. At, inquit ille, non alias relinqui iubes, q̄ eas quas ego ſuprà dicebam. Non igitur opus erit nobis in cātibus & melodiis harmonia quæ multis conſtat chordis, omnibúſq; concētibus. Non, vt mihi videtur. Ergo Trigonorū, pectidū, & omniū inſtrumentorū, quæ multis cōſtant chordis, & plurimis conſonantiis, fabros, non nutriemus. Nō, vt videmur. Quid autē? tibiarū artifices & tibicines in ciuitate relinques? an nō inſtrumēta multarū chordarū, harmoniarúmq; omniū tibiā imitātur? Patet, inquit ille. Lyra itaque reſtat, & cithara in ciuitate vtilis, & fiſtula in agris paſtoribus cōmoda. Ita ratio nobis oſtendit. Nihil alienū inducimus, ô amice, dū Apollinē, & Apollinis inſtrumēta, Marſiæ ipſi, & organis eius pręponimus. Non per Iouem, vt mihi videtur. Per Canē ſenſim & clanculū purgare cœpimus ciuitatē, quàm ſuprà nimiis deliciis deditam dicebamus. Et quidē ſapienter. Age, purgemus & reliqua. Sequitur ad ea quæ de harmoniis dicta ſunt, vt rhythmos ita perſequamur, ne per varios admodum vagemur, néue per quoſlibet motus, ſed qui vitæ fortis & temperatæ rhythmi ſunt, dignoſcamus. Quibus cognitis, pedē cantúmq; cogamus orationē huiuſmodi ſequi, non orationem ſequi pedem, & cantum. Qui verò ſint rhythmi tales, tuæ ſunt partes declarare, quēadmodum harmonias expoſuiſti. Per Iouem, inquit, quid dicā nō habeo. Quòd enim tres quædā ſpecies ſunt ex quibus motus iſti texuntur, quēadmodū in vocibus quatuor, vnde omnes harmoniæ conficiuntur, animaduerterim, dicere poſſem. Quales autē qualis vitæ imitationes ſint, aperire nequeo. At de his inquā, cum Damone deliberabimus, quinam pedū motus apti ſint illiberalitati, petulantiæ, inſaniæ, aliiſq; vitiis, quiue rhythmi contrariis congruant. Arbitror autem audiuiſſe, quáuis non ſatis apertè, eū ipſe bellicoſum quendā nominaret compoſitū, & dactylū, heroicúmq;, qui neſcio quo modo ornabat, quum eum parem & ſuprà & infrà poneret, in breuē longúmque euadentē, vtq; exiſtimo iambū, & alium quendam trochæum appellabat. Longitudines autem & breuitates adhibuit. Et in aliquibus iſtorū arbitror eū vituperare vel laudare dictiones pedis, non minus quàm rhythmos ipſos, vel aliquid ex vtriſq; cōmixtū. Neq; enim declarare ſatis hæc poſſum. Verùm hæc, vt dicebā in Damonem ipſum reiecta ſint. Prolixa quippe oratione ad hæc diſtinguenda opus eſſet. Num id putas? Prolixa per Iouem. Hoc autē ita diſcernere potes, quòd cōcinnitas atque ineptitudo cōgruitatem & incongruitatē rhythmi ſequuntur, Quidni? Atqui congruum quidem pulchrā orationem ſequitur, & tanquam ſimile imitatur: incongruum verò cōtrariam. Quinetiā conſonum ipſum, & diſſonum eodē modo: quando quidem rhythmus & harmonia, vt paulò antè dictū fuit, orationē ſequūtur, non ipſa oratio rhythmū & harmoniam ſequitur. Certè orationē ſequi hæc debent. Quid verò loquēdi modus ipſaq; oratio, nónne animi affectionē ſequitur? Abſq; dubio. Orationem verò cætera quoq; ſequuntur? Nempe. Sermonis itaque decor, conſonantia, venuſtas, & rhythmi congruentia affectionem animi moderatam ſequuntur, quam εὐήθειαν appellant. Non eam dico, quam ſæpe, cùm inſcitia quædā ſit, blanda quadam deriſione εὐήθειαν nominamus, imò verò eam εὐήθειαν inquam, quæ reuera cogitationem ſignificat moribus optimis præditam. Sic eſt omnino. Nónne igitur vbique hæc iuuenes ſequi debent, ſi rem ſuam agere volunt? Debent ſanè. Eſt autem ars pingendi vniuerſa horum plena, & omne huiuſmodi artificium, plena quoque texendi facultas, & variegandi & ædificandi, omnis præterea cæterorum ſuppellectilium inſtrumentorúmq; effectio: quin & corporū plantarúmque natura. Porrò in omnibus iſtis, aut condecentia quædam ineſt, aut indecentia. Et indecentia quidem, & rhythmi inconcinnitas atq; diſſonantia, ſermonis turpis & improbi moris ſorores ſunt, contraria verò contrarij, temperantis & boni moris germana, & imitationes quædam ſunt. Eſt vt dicis. Nónne poetæ duntaxat vrgendi ſunt, cogēdique vt imaginem boni moris in ſuis poematis exprimant, vel apud nos non ſcribant? An præterea & aliis artificibus præſcribemus ac vetabimus, ne mali moris ſimulachrum aliquod non bene caſtigatum opus, illiberale, indecens, ſiue in figuris animalium, ſiue in ædificiis, ſiue in quouis alio artificio faciant? Vel ſi quis hoc præſtare non poteſt, ne quid apud nos agat prohibendus eſt, ne in prauitatis imaginibus nobis enutriti cuſtodes, tanquam noxio in gramine, & multa quotidie paulatim à multis decerpentes, paſcentéſque, vnum aliquod maximum malū ignari in animo contrahant? Quamobrem illi quærendi ſunt artifices, qui naturali quadam induſtria poſſint, tanquam per veſtigia exprimere pulchri ipſius decoríque naturam, vt tanquā in loco ſalubri habitātes, iuniores ex omnibus adiuuentur, vndecunq; à pulchris honeſtíſque operibus ſiue ad oculos, ſiue ad aures eorum honeſti aliquid perueniat, veluti ſuauis aura quædam à locis ſalubribus afferens ſanitatem: quæ quidem ſtatim afflare à primis annis incipiens, ſenſim

animos hominũ in ſimilitudinem, amicitiam, & cõcordiã, honeſta oratione rationéq; conciliat. Egregiè admodum iſto pacto nutrirentur. Ob hãc igitur cauſam, inquam ego, ô Glauco, ex ipſa principali in muſica educatione rhythmus & harmonia interiora animi ſubeunt, feriúntque vehementiſſimè animũ, decoram quandam figurã ferentia, per quã decorus & pulcher efficitur, quiſquis rectè eruditur: cõtrà verò, ſi contrà quis fuerit educatus. Et quoniam rurſus imperfecta, neque rectè fabricata, aut nõ bene orta acutiſſimè ſentiet, qui illic, quẽadmodum oportet, nutritus fuerit, meritò ęgrè hęc ferens, pulchra quidem laudabit, eáque amans, auidéque arripiens, ipſis aletur, ac bonus inde efficietur & pulcher. Turpia verò iure vituperabit, oderitque, etiam in ea ætate in qua rationẽ nõdum ſuſceperit. Aduentantem deniq; rationẽ, qui ita nutritus erit, libenter amplectetur, eam ex ipſa propinquitate, familiaritatéque prorſus agnoſcens. Mihi quoq; harũ rerum gratia, in muſica nutriẽdi videntur. Quemadmodũ tunc profectò literas ſatis rectè callemus, quãdo elemẽta nos non fugiũt, quæ quibuſcunq; in rebus verſentur, pauca ſunt, & neq; in paruis, neque in magnis ſpreuimus, quaſi non oporteret ea intelligere, ſed vbiq; ea conati ſumus cognoſcere, vt potè qui prius grammatici futuri non ſimus, q̃ nos ita comparauerimus. Vera loqueris. Imagines præterea literarum ſicubi vel in aquis, vel in ſpeculis appareant, non prius cognoſcemus, quàm ipſas literas nouerimus. Eſt enim hoc artis & exercitationis eiuſdem. Omnino. Vtrum igitur (per deos) ita eſt vt dico? neq; muſici prius erimus, vel nos, vel ipſi quos ad vrbis cuſtodiam erudimus, q̃ temperantiæ ſpecies, & fortitudinis, liberalitatis, & magnificentiæ, & quæcunq; harũ ſorores ſunt, ipſiſq; contraria cognouerimus, vbicunque ſint: ita vt & hæc, & ipſorũ imagines quibuſcũq; inſunt, perſentiamus, neque in paruis, neque in magnis cõtemnamus, ſed eiuſdem eſſe putemus & artis, & ſtudij? Neceſſe eſt omnino. Nónne igitur ſi quo in homine hæc concurrant, vt in animo pulchri mores inſint, & in corporis ſpecie illis ſingula reſpõdeant conſentiántque, eandem ſuſcipiẽtia formã, pulcherrimum hoc erit ei qui inſpicere poſſit ſpectaculum. Valde quidem. Atqui quod maximè pulchrũ, & amabile maximè. Prorſus. Tales quoſdam homines maximè vir muſicus adamaret: ſiquid verò abſonũ aduerteret, minimè. Non certè ſi quid animo deeſſet: ſiquid verò duntaxat deeſſet corpori, ſufferret quidem adeò, vt diligere amplectiq; velit. Intelligo equidem, quia tales quidam vel amãtur abs te, vel amati iam ſunt, atque aſſentior. Sed hoc mihi dicas. Eſtne vllum temperantiæ cum ſoluta nimiáq; voluptate cõmercium? Quónam pacto? Quippe cum voluptas huiuſmodi, non minus quàm dolor mentẽ è ſuo ſtatu dimoueat. Aliis verò virtutibus? Minimè. Quid autem? petulantia intemperãtiáque habent cum nimia voluptate cõmunionem? Maximè omnium. Habéſne maiorẽ & vehementiorẽ voluptatẽ, quàm quæ circa venerea? Neq; vehementiorẽ vllam habeo, neq; furioſiorẽ. Rectus autem amor ipſa ſui natura temperatè & muſicè amat pulchrũ atque decorũ. Prorſus. Nihil ergo furioſum vel intemperantiæ proprium recto amori eſt admouendum. Non certè. Neque igitur iungenda illi eſt voluptas, neque in ea communicare debẽt amatores cum legitimè dilectis adoleſcentibus, amãtéſque cum amatis. Per Iouem nullo modo, ô Socrates. Sic igitur, vt videtur, in ciuitate inſtituta legẽ condes, amatorem amare, vnà eſſe, & tangere amatum, ſi perſuaſerit, tanquam filium, honeſtorum cauſa, atque in omnibus ſic verſari cum eo quẽ amat, vt nunquã diutius quam hoc patiatur, eſſe cum illo videatur. Sin minus, ignominiã ſubeat, tanquã qui nihil omnino ſapiat muſicũ, pulchrúmve. Sic prorſus. Nónne tibi videtur finem ſuũ iam ſermo de muſica cõſecutus? Quo enim finiri debet, eò iam peruenit. Oportet enim muſicam in amatoria pulchri finiri. Aſſentior equidem. Poſt muſicã verò in gymnaſtica exercẽdi ſunt iuuenes. Quidni? Oportet enim & in hac per omnem vitam diligẽter à pueris educari. Id autem ita ſe habet quodammodo, vt opinor. Animaduerte & tu. Mihi quidẽ nõ videtur bene affectũ corpus, vi ſua bonũ animũ facere, ſed cõtrà bene affectus animus, vi ſua corpus quoad fieri poteſt, optimum reddere. Tibi verò quidnam videtur? Quod & tibi. Nõne ſi poſtquam mentem ſatis excoluerimus, trademus ei, vt quæ ad corpus pertinent, diligẽter & exactè inquirat & curet, nos autẽ quaſi quaſdam formulas proponemus, ne longiores ſimus, rectè faciemus? Omnino. Ab ebrietate itaque ipſis diximus abſtinendũ. Vnicuiq; enim magis conceditur quàm cuſtodi, vt ebrietate grauatus vbi terrarum ſit, neſciat. Nempe ridiculũ eſſet cuſtode indigere cuſtodẽ. De cibis autem quid dicemus? Athletæ enim hi viri ſunt, & maximi quidẽ certaminis. Nónne? Maximi planè. Num aliorum athletarũ habitudo illis conueniens eſſet? Fortaſſe. At verò ſomnolenta hæc eſt, & ad valetudinem dubia. An nõ vides quòd vitã edormiunt? & ſi parum quidẽ ab inſtituto victu diſcedunt, grauiter ægrotant xercitatores huiuſmodi? Video equidẽ. Elegantiore igitur aliqua exercitatione opus eſt bellicoſis Athletis, quos tanquã canes inſomnes eſſe oportet, & quàm acutiſſimè videre atque audire, & multas in exercitu mutationes aquarũ, & aliorũ ciborũ, æſtus & frigoris ita perpeti, ne facilè in morbos delabãtur. Ita mihi videtur. Optima igitur gymnaſtica ſoror eſſet ſimplicis muſicæ, de qua paulò antè tractauimus. Quomodo iſtud? Simplex vtiq; & cõueniẽs gymnaſtica, & maximè militũ exercitatio. Quo pacto? Ab Homero quidẽ id diſcere poſſumus. Noſti enim quẽadmodũ in belli expeditionibus in heroũ cõuiuiis, neq; piſces ipſius parat, quamuis ipſi in Helleſpõto mari eſſent, neq; elixas carnes, ſed aſſas, quæ facilius à militibus præparantur. Vbiq; enim facilius eſt, vt paucis dicã, ipſo igne vti, quàm vaſa circũferre. Sanè. Neq; vnq̃ variorũ condimentorũ, vt arbitror, Homerus meminit. Sed hoc & alij ſciũt quicũq; exercẽtur, quod cui corpus robuſtum eſſe debet, à cũctis huiuſmodi rebus eſt abſtinendũ. Rectè quidẽ & ſciũt, & abſtinẽt. Syracuſanas itaq; ô amice, mẽſas, & Siculorũ, vt videris, obſoniorũ varietatẽ nõ laudas, ſiquidẽ hæc ita tibi rectè ſe habere vidẽtur. Non certè, vt mihi quidẽ videor. Vituperas & Corinthiũ luxũ blandientium puellarũ, in his qui optima corporis habitudine futuri ſunt. Summopere. Quinetiam Attica bellaria cõdimentáque, quæ iucunda plurimis & delicata videntur. Neceſſe eſt. Omnẽ enim, vt exiſtimo, huiuſmodi victũ, ſi ſimilẽ eſſe dicemus melodię & cãtilenæ quę in omni genere harmoniæ, omnibúſque rhythmis verſantur, rectè cõparauerimus. Planè. Ibi quidem intemperantiam varietas parit, hic morbum: ſimplicitas autem ſecundũ muſicã, in animis temperãtiam, ſecundum,

Iliad. ζ.

cundum verò gymnaſticam, in corporibus ſanitatem. Veriſſima loqueris. Intemperãtia verò & morbis in ciuitate multiplicatis, & tribunalia & medicorum officinæ aperiuntur. Vnde iudiciaria & medicina in pretio habentur, quando & liberi multi his ſummopere ſtudeant. Quidni? Igitur malæ & turpis diſciplinæ in ciuitate nullam maiorem potes coniecturã capere, quàm ſummis iudicibus ac medicis indigere, nõ modò abiectos homines & mechanicos, ſed eos etiã qui in liberali diſciplina educatos eſſe ſe gloriantur. Nónne turpe videtur, & malæ inſtitutionis magna cõiectura, vt cogamur ob proprię virtutis inopiã iuſtitia vti externa aliorum, videlicet tanquam dominorum & iudicum? Omnium profectò turpiſſimum. An non hoc quoque turpius eſſe putas? quando aliquis non modò multum vitę tempus in iudiciis, tum accuſando, tum defendendo conterit, ſed & rudi quadam elatus iactantia, eo ipſo gloriatur, quaſi ſit potens ad iniuriam inferendam, ſuíſque verſutiis vſqueadeò tergiuerſari valeat, eáque perfugia inuenire, vt nullas ſoluat pœnas idq; minimarũ viliſſimarúmque rerum cauſa ignorans quantò præclarius ac melius eſſet, ita ſe comparare, vt ſomnolentum iudicem nõ deſideret. Certè hoc illo turpius eſt. Abſurdum præterea exiſtimandum eſt, homines medicis egere non ad vulnera ſananda dũtaxat, morbóſque curandos intemperie aeris, & pro anni tempore aliter atque aliter incidentes, ſed ob deſidiã, & quem in victu ſuprà damnauimus, luxum, vt homines lacunarum inſtar aqua, flatúque exuberantes, coegerint præclaros Æſculapij ſucceſſores morbos quoſdam nouo nomine flatus & catharros appellare. Noua ſanè hæc morborum, inquit, nomina, nimiúmque abſurda. Hæc, vt arbitror, Æſculapij tempore non erant.

Iliad. λ.

Quod hinc coniicio, quòd eius filij apud Troiam, poculum, Patrocli iuſſu, à muliere oblatum ſaucio Eurypylo non improbarunt, cùm tamen in eo mixta eſſet Prãnio vino farina, & inſuper attritus caſeus, quæ pituitam augent. Profectò abſurdum id poculum, miniméque ita affecto conueniens. Non. Quia ſi aduertis, inquam, hac noſtra medẽdi facultate, morborum pædagôga, Æſculapij ſectatores ante Herodicum, vt fertur, minimè ſunt vſi. Herodicus autem quum eſſet exercitandorum magiſter iuuenum, eſſétque valetudinarius, miſcens gymnaſticam medicinæ, primò quidem ſeipſum, deinde & poſteros multos tædio affecit. Quonam pacto? Longam quippe ſibi mortem præſtitit. Nam dum morbum qui letalis erat, ſubſequeretur, neque curare, vt opinor, ſe poterat, & medelæ ſtudio occupatus, omiſſis reliquis omnibus, vitam in hac corporis indulgentia conterebat, malè quidem affectus ſi paulò à conſueto victu diſcederet, ægrè tamen moriens, hac ſapientia ad ſenectutem peruenit. Egregiam inquit, palmam ex arte ſua reportauit. Nempe, inquam, quam decebat reportare illum, qui ignorabat Æſculapium, non ignorantia quidem & imperitia huius medendi formæ poſteris hoc non oſtendiſſe, ſed quoniam videbat in ciuitate optimè inſtituta, ſuum cuiq; opus aſſignatum eſſe, quod perfici neceſſe ſit, nec vlli ſupereſſe otium, vt per omnem vitam valetudinarius in corpore curando occupetur. Quod quidem modo quodam ridiculo in artificibus animaduertimus: in illis verò, qui opulenti felicéſque cenſentur, nequaquam. Quomodo iſtud? Faber ſi quando in morbum incidit, à medico curationem exigit, vel per vomitum, vel deiectionem ventris, vel vſtionem, vel inciſionẽ. Si quis autem diuturnã illi victus obſeruationẽ præcipit, capitiſq; ſuffarcinationes, cęteráque huiuſmodi, ſtatim obiicit non eſſe ſibi ad ægrotãdum otium, neque præſtare ſibi ita vitam trahere cõtinuis curationibus incũbenti, ſuumq; opificiũ negligenti. Deinde medico hoc valere iuſſo, ad cõſuetum victum reuertens, ſi cõualeſcit, opus ſuũ exequitur: ſin autem ſuſtinere corpus morbũ non poteſt, vita functus negotiis liberatur. Ita profectò medicinis vti artifici cõuenire videtur. Atq; idcirco opus illi propoſitum eſſe dixi, quod niſi peragat, viuere ipſi non expedit. Cõſtat. Diues autẽ, vt diximus, opere nullo vrgetur, à quo ſi quando vi arceatur, nõ amplius ſit ei viuendum. Nullo prorſus, vt fertur. Phocylidem fortè non audis dicẽtẽ, oportet virtutẽ exercere, quãdo ad viuendũ facultas ſuppetit. Arbitror autẽ & prius. Nihil in hoc illi aduerſemur, ſed ipſi nos doceamus, vtrum id hoc pacto meditari diues debeat: aut ſi minus, & in alẽdis morbis tẽpus terat, nõ ſit illi viuendum. Fabrili ſiquidẽ arti ac cæteris impedimento id eſt. Nã ab opere mentẽ diuertit. Pręceptũ verò Phocilidis nihil impedit. Etiã per Iouẽ. At fermè omniũ maximè, ſiquidem magis quàm gymnaſtica, ſuperuacua iſta curatio corporis nos occupat. Etenim rei familiari & militari, & vrbanis omnibus magiſtratibus obeſt plurimum. Quod autem maximum eſt, diſcendi ſtudium, & omnem intelligendi meditandiq; diligentiam impedit, dũ capitis diſtenſiones ſemper & vertigines ſuſpicatur, ſtudiúmque ſapientiæ cauſatur, quaſi ex eo iſta naſcãtur. Quamobrẽ ad virtutis exercitationẽ, probationemq; nobis omnino impedimẽto eſt. Efficit enim vt ſemper nos ęgrotare putemus, neq; deſinamus vnquã de habitu corporis queri. Cõſentaneum eſt. Hæc cùm videret, arbitror Æſculapium, hominibus natura educationéque bene valentibus, deinde verò morbo quodã ſecreto ægrotãtibus, his & huic habitui oſtẽdiſſe medicinam, qua pharmacis & inciſionibus infirmitas tolleretur, cõſueto victu imperato, ne ciuilia negotia diſturbarentur. Corpora verò penitus interiori corruptione valetudinaria nequaquam aggreſſum fuiſſe, diligentia victus ſenſus exhauriẽdo & infundendo in vita producere, ita vt valetudinarios, quod inde ſequitur, filios generarent. Neque verò cenſuit curandũ, qui non poſſet in conſtituto & ſolito victu ac regula viuere, tãquam neque illi ipſi, neque ciuitati id conferret. Ciuilem virum dicis Æſculapium extitiſſe. Conſtat planè, filiíque ipſius talem eũ fuiſſe teſtantur. An ignoras illos apud Troiam in rebus bellicis claruiſſe? quanquam & medicinæ ſtudio, quemadmodum ego dicebam, vtebãtur. Non meminiſti quòd Menelao Pandari manibus vulnerato, cruorem vulneris abſterſerunt, & vnguentis mitigantibus perunxere: legem verò certam circa cibos ac potius nihilò magis quàm Eurypylo præſcripſerunt, quaſi pharmaca ad curandos ſufficerẽt homines, qui ante accepta vulnera, & firmi corporis habitu & victu moderati fuiſſent, quãuis eo ipſo tẽporis momẽto cyceonẽ bibiſſent? homines autẽ & natura & incõtinentia morboſos viuere, neq; iis ipſis, neq; aliis cõferre putabant, neque circa illos verſari artem, neq; eſſe curandos, etiam ſi Mida locupletiores eſſent. Scitos admodum viros fuiſſe perhibes Æſculapij filios. Decet ſanè. quanquam nobis tragici & Pindarus parum aſtipulentur. Æſculapium enim

Iliad. δ.

ferunt Apollinis filium extitiſſe, atque auro inductú vt hominem pecunioſum cú extrema ægritudine ad morté ferente opprimeretur, curaret. Vnde & fulmine percuſſum. Sed nos propter illa quæ ſuprà diximus, illis hæc vtraque non concedimus. Imò ſi dei filius fuit, lucri turpis auidum fuiſſe negabimus: ſin turpis auidus lucri, dei fuiſſe filium reiiciemus. Probè quidem iſta dicuntur. Sed de hoc quid ais, ô Socrates? An non bonos medicos habere oportet in ciuitate? Eſſent autem tales maximè, quicunq; fuiſſent cum ſanis plurimis, plurimiſq; ægrotátibus conuerſati. Iudices item ſimiliter, qui varia hominú ingenia eſſent experti. Et valdè quidem bonos dico. Sed num intelligis quos tales eſſe arbitror? Si dixeris. Tentabo equidem. Tu tamen non ſimilem rem ſermone eodem interrogabas. Qua ratione? Medici quidem præſtantiſſimi euaderent, ſi ab ineunte ætate præter diſcendæ artis ſtudiú, inter plurimos corpore malè affectos cóuerſarentur, ipſiq; omni morború genere laborarent, naturáque imbecilla eſſent. Neq; enim corpus, vt arbitror, corpore curant. Impoſſibile nanque eſſet, ipſa quandoq; vel fuiſſe mala, vel eſſe. ſed anima corpus curat. An non fieri poteſt, vt quæ fuerit ſitque mala, bene aliquid curet? Rectè quidé. Iudex auté, ô amice, animo ipſi animo imperat: quem poſſibile non eſt à pueritia cum malis animis educatú & conuerſatú, & iniuſta quæq; facinora operatú, acutè denique ex ſeipſo aliorum ſcelera coniectare, quemadmodú ex ipſo corpore morbos: ſed inſonté ipſum imperitúmq. malorú morú, dum eſſet iuuenis, extitiſſe oportet, ſi bonus & honeſtus exiſtens, iuſta ſyncerè eſt iudicaturus. Quapropter modeſti homines, dú iuuenes ſunt, ſtolidi eſſe vidétur, & qui facilè ab iniuſtis decipi poſſint, táquá qui non habeant in ſeipſis eadé quæ habét improbi, affectuum exempla malorú. Omnino certè id eis vſu venit. Proinde non iuuenem, ſed ſenem eſſe bonum oportet iudicem, qui ſerò quale quid iniuſtitia ſit, didicerit: tanquá qui non propriá in animo ſuo eam ſenſerit, ſed alienam in alienis animis longo tépore nouerit, atque idcirco cuiuſmodi ſit malú diſcernat, ſcientia potius quam propria experientia iudicans. Generoſiſſimus certè iudex huiuſmodi eſſe videtur. Et bonus præterea, quod ipſe quærebas. Qui enim bonú habet animum, bonus eſt. Verſutus autem ille ac mala ſuſpicans, qui multa egit iniuſtè, ſagáxque & ſapiens habetur, quando cú ſui ſimilibus verſatur, cautus callidúſq; apparet, cú ad exépla quæ in ſe habet menté dirigens ſibi ſatis cauet. Quádo vero bonis ſenioribúſque adhæret, fatuus videtur, cùm importunè diffidat, ſanumq; & ſynceru morem ignoret, quippe qui exempla illius nó habeat. Cum verò frequentius cú malis quàm cú ſapientibus verſetur, ſæpius quoq; ſapiétior quàm inſipientior ſibi aliiſq; videtur. Vera proculdubio loqueris. Nó ergo talem quærere oportet iudicé táquam bonú & ſapientem, ſed qualem paulò antè dicebá. Prauitas enim neque ſe, neq; virtuté cognoſceret vnquá. Virtus autem naturæ, addita tempore diſciplina, & ſeipſam, ſimul, & prauitatem intelliget. Non igitur malus, vt mea fert opinio, ſed hic ſapiés euadit. Mihi quoque ita videtur. Nónne igitur & medicinam qualem diximus, vnà cum huiuſmodi iudiciaria æquitate in ciuitate conſtitues, quę quidé eos ciues qui natura, tum animo, tum corpore bene ſe habent, curabunt: eos verò, qui non ſunt eiuſmodi corpore præditi, mori ſinant: qui verò malo ingenio procreati, inſanabiles ſunt, morte mulctent? Hoc igitur & ipſis qui talia patiuntur, & ciuitati conducere videtur. Conſtat quinetiam curaturos iuuenes ne in iudiciariæ vſum deſcendant, ſimplici illa vtétes muſica, ex qua naſci diximus temperantiam. Cur non? An non per eadem hæc veſtigia muſicus gymnaſticam ſequés, ſi volet, aget, aſſequetúrque vt nihil egeat medicina, niſi neceſſitas cogat? Aſſentior equidem. Exercebit autem in gymnaſiis corpus, reſpiciens magis ad animoſitatem naturæ, illámq; excitans, quàm ad robur, neq; quemadmodum Athletæ alij roboris gratia victú inſtituet, laboréſque adhibebit. Rectè admodum. Qui ergo ſtatuunt, ô Glauco, muſica & gymnaſtica homines erudire, nó ea cauſa qua multi exiſtimant, ſtudia hæc aggrediuntur, vt hac quidem corpus, illa animum curent. Cur nó? Videntur enim vtraque animi gratia plurimú exercere. Quo pacto? An non vides vt afficiantur animo qui gymnaſticam per omnem vitam exercét, muſicá animo nó attingunt, vel qui aliter affecti ſunt? De quónam dicis? De ruſtica, inquá, duritia ferocitateq;, atq; ité de mollitie, & manſuetudine. Noui equidem inquit, eos qui ſola vtuntur gymnaſtica, agreſtiores quàm oportet euadere. Qui auté dútaxat muſica, molliores quàm eos deceat, effici. Atqui vis ipſa inquam, agreſtis, ad iracúdæ naturæ animoſitatem pertinet, quæ ſi rectè nutritur, fortis euadit: ſin auté ſuprà quá decet, excreſcit, ferox, vt cóſentaneú eſt, ac dura. Aſſentior. Quid auté vim ipſam mitem & máſuetam, nónne philoſophi natura habet: quę ſi nimiú remittatur, mollior fit quàm decet: bene auté ſi enutritur, manſueta atque modeſta? Eſt vt dicis. Dicebamus auté oportere ipſos cuſtodes vtraſq; naturas habere. Oportet ſanè. Nónne cógruere inter ſe & cócinere oportet? Quidni? Eiúſq; animus in quo hæc cóſonant téperans eſt & fortis? Omnino. Eius autem animus in quo diſſonant, timidus & agreſtis? Et maximè quidem Quicunque permittit vt muſica animú ſuum aſſiduè circúſonás occupet & demulceat, pérque aures veluti per infundibula harmonias infundat, quas ſuprà commemorauimus, ſuaues, blandas, molles, ac flebiles, atq; ætatem ſuam in cátibus animú deliniétibus conſumit, is primú quidem, ſiquid iracundú habebat, tanquam ferrú demollit, & vtile ex inutili duroq; efficit. Quádo autem incúbit diutius, magis demulcet: poſt hoc iam liquefacit animum & reſoluit, donec liquefecerit animoſitaté omnem, excindátq; tanquá neruos ex animo, ex quo animum quaſi mollem pugnatorem efficit. Sic eſt omnino. Ac ſi à principio nacta ſit naturam ſine animi robore, citò hoc perficit. Sin auté animoſam, vires animi frangens ad iram reddit præcipitem, vt minimis quibuſque offenſiunculis irritetur, ac facilè iterú reſtinguatur. Vnde pro animoſis, iracundi atq; moroſi effecti ſunt, moleſtia, & faſtidio pleni. Ita prorſus accidit. Quód ſi quis gymnaſticæ, & conuiuiis admodú ſe dedat, muſica philoſophiaq; neglectis, primùm quidem firmú corporis habitum cóſequutus animi viribus multitudineq; repletur, fortiórq; quàm eſſet, euadit. Valdè quidé. Deinde ſi in hoc ita perſeueret, vt nihil aliud agat, neq; muſicam prorſus attingat, certè ſi quis erat eius in animo inſtinctus diſcendi flagrás cupiditate, imbecillus, ſurdus, ac cæcus efficitur, vtpote qui neq; doctriná guſtauerit vllá, neque indagationé rerú, neq; vllá penitus rationé, neque muſicá aliá, vnde illius ſenſus expergiſci potuerit, coaleſceréque, & purgari. Sic planè.

A ratione, vt arbitror, vir huiuſmodi, & à muſis redditur alienus, ac nulla alterius perſuaſione rationibus inducta vtitur, ſed vi & agreſti immanitate tanquá fera quędam ad omnia fertur, inq; inſcitia & ruditate, ſine concinnitate & gratia viuit. Omnino ſic ſe res habet. Ad hæc igitur duo, vt apparet, artes duas aſſereré deum aliqué hominibus tribuiſſe muſicam & gymnaſticam. ad animoſitatem videlicet philoſophicámque naturam, nó ad animum & corpus, niſi per accidens fuerit, ſed ad illud vt inter ſe conſonarent, intenſę atque remiſſæ, quatenus deceat. Sic apparet. Eum igitur qui pulcherrimè gymnaſticá cú muſica miſcet, moderatiſſimeq; hæc animo adhibet, meritò abſolutiſſimú muſicum diceremus, & ſumma harmonia cópoſitum multò magis quàm eú qui chordas téperat. Et meritò quidem, ô Socrates. Nónne ergo huiuſmodi aliquo præſide ſemper in ciuitate nobis opus erit Glauco, ſi ſalua reſpublica futura eſt? Erit certè ſummopere. Hi ergo diſciplinæ educationiſque modi eſſent. Choreas enim huius generis eſſe rectè dicat aliquis, venationéſq; tum alias tum quæ cú canibus fiunt, gymnica denique certamina & equeſtria. Fermè enim cóſtat ſequi hæc iſta debere, neq; inuétu difficilia eſſe. Fortè, non ſunt difficilia. Age inquam. Quid nobis præterea diſtinguendum? Nónne horú omnium, quiná imperare debeant, qui parere? Cur nó? Cóſtat quidé ſeniores imperare oportere, iuniores parere. Cóſtat profectò. Et hoc liquet, ex his eſſe optimos eligédos. Liquet certè & iſtud. Agricolarum optimi nóne hi ſunt, qui maximam agrorum habent colendorú peritiam? Prorſus. Nunc auté cum ex cuſtodibus optimos eligi oporteat, nónne eos eligere conuenit qui maximá cuſtodiendæ ciuitatis peritiam habét? Eos planè. Prudétes ergo ad hoc eſſe eos oportet, potéteſq;, & qui rei curam habeant. Eſt ita. Curat autem quiſq; maximè id quod maximè diligit. Neceſſe eſt. At quis hoc diligit? maximè, cui cóferre eadé ac ſibi exiſtimat, & ex cuius felicitate ſuá arbitratur felicitaté. infelicitatéue pédere. Sic eſt. Eligendi igitur ex omnibus cuſtodibus hi maximè, qui nobis cóſiderátibus videátur per omné vitam ſummo ſtudio ea facere, quę è repub. eſſe ducút: quę verò cótrà, cauere. Cómodiſſimi certè hi ſunt. Obſeruádi itaq; ſunt, vt arbitror, in ſingulis ætatibus, vtrú pręceptum hoc ſeruét, neq; tanquá præſtigiis quibuſdá decepti, neq; vi vlla cópulſi, ſuiq; ipſorú obliti eiiciát eam opinioné, qua ea ſola céſentur agéda, quę ſunt optima reip. Quá eiectioné dicis? Dicá tibi: videtur mihi opinio è méte excedere, vel ſpóte, vel inuitè. Spóte quidem, falſa, in eo qui dediſcit. Inuitè auté, vera quæq; opinio. Quod de volútario abſceſſu dicis, intelligo: quod autem de inuito, diſcere cupio. Nónne putas bonis homines inuitè priuari, malis autem ſponte? An non métiri, verumq; neſcire malú eſt, verè auté iudicare bonú? Nónne opinari ea quæ ſunt, verè putare videtur tibi eſſe. Probè loqueris, mihiq; vidétur homines inuiti vera opinione priuari. An non vel furtim, vel deceptione, vel vi hoc patiuntur? Neque iſtud intelligo. Tragicè loqui videor. Surripi enim opiniones iis dico, qui ſentétiam mutát, vel ſenſim tépore obliteratá, vel clam aduerſa ratione ſubtractá. Nunc intelligis? Intelligo equidé. Vim auté illis inferri, quos dolor aut cruciatus, aliter ſentire cogút. Iſtud intelligo equidé, ac rectè dicis. Subduci autem quaſi pręſtigiis eos, vt arbitror, tu quoque diceres, qui prioré deponunt opinioné, vel voluptate deliniti, vel metu perterrefacti. Videntur ſanè quęcunq; decipiunt, præſtigiis nos ſeducere. Quod igitur nuper dicebá, quærendum eſt quinam cóſtanter ſeruent eam, quæ apud ipſos eſt ſententiá, id videlicet ſemper agendú eſſe, quod reipublicæ códucere arbitrantur. Obſeruádi ſunt igitur ſtatim à pueritia, eaq; illis opera ponéda, ex quibus aliquis maximè præceptum illud obliuiſci, falliq; poſſit. Atque is qui ſeruat illud memoriter, neque decipitur, eligendus: qui cótra, abiiciendus. an non? Certè. Ergo & labores & dolores illis & certamina opponenda, in hiſque hęc eadé obſeruanda. Scitè. Nonne & ſecundum ſpeciem illam tertiam præſtigiorum pugnandum eſt? & quemadmodum qui inſpicere cupiunt, nunquid num pulli pauidi ſint, néene, ad ſtrepitum illos, & tumultum ducunt, ſic iuniores in terribilia quædam impellendi, atque item oblectaméta, in híſque multò magis, quàm igni aurum examinandi? vt ita comperiamus, ſi extet aliquis inter eos qui non facilè irretiatur, ſitque compoſitus in omnibus, ſuiipſius cuſtos optimus, & eius quam didicit muſicæ conſeruator, concinnúmque & cóſonum ſe in his omnibus præbeat. Qualis vir eſſet & ſibi & patriæ vtiliſſimus. Atque is qui ſemper in pueritia, adoleſcétia, & matura ætate probatus eſt, & incorruptus exiſtit, cuſtos & princeps eſt ciuitatis conſtituendus. Honores huic tribuendi & viuenti & mortuo, ſepulchrorum & aliorum monimentorum maxima munera ſortienti. Qui verò talis non ſit, abiiciendus eſt. Huiuſmodi igitur, ô Glauco, delectus & inſtitutio principum & cuſtodum eſſe debere mihi videtur, vt ſummatim potius quàm accuratè ſit dictum. Idem & mihi videtur. Igitur veriſſimè vocabantur hi quidem cuſtodes omni ex parte, tam externorú hoſtiú, quàm internorum amicorú, vt iſti nolint, illi nequeát malú aliquid machinari. Iuuenes autem quos paulò antè cuſtodes nominabamus, rectè auxiliarij, defenſoréſque inſtitutionum ipſorum principum appellabuntur. Sic & ipſe ſentio. Quis itaq; modus erit, quo ex his médaciis quę aliquando decent, quemadmodum & nos antea dicebamus generoſum quiddam eſſe mentiendo perſuadere, prius quidem principibus, ſin minus ſaltem reliquis ciuibus? Quale iſthuc ais? Nihil boni equidem, ſed Phœnicium quiddam: quod antè quidem apud multos factum eſt, vt poetæ dixerunt, & perſuaſerunt, noſtris verò temporibus minimè, nec ſcio ſi futurú vnquam: perſuadere, certè eſt arduú. Quàm pigrè inquit, ad dicédum videris accedere. Videbor equidem tibi poſtquam dixero, haud ab re piger. Dic age, nec timeas. Ecce iam dico, quanquam neſcio qua audacia quibuſq; verbis fretus dicá: atque aggrediar primùm ipſis principibus & militibus ſuadere, deinceps auté & reliquis ciuibus, quòd ea quibus nos ipſos enutriuimus erudiuimuſq;, tanquam ſomnia viſi ſunt circa ſeipſos omnia habere. Erát auté tunc reuera ſub terra intus formati & enutriti ipſi & arma eorú & ſuppellex omnis. Poſtquá verò omnino perfecti fuerút, terra ipſos vt mater eduxit. Et nunc quidem tanquá matri ac nutrici, regioni huic in qua ſunt conſulere debent, atq; ſuccurrere, ſi quis eam inuaſerit, déque cæteris ciuibus tanquá de fratribus terra genitis, cogitare. Non ab re inquit, iam antè pudebat hoc mendaciú dicere. Rectè admodú inquá, ſed audi iam reliquú fabulæ. Eſtis vtiq; omnes in ciuitate tanquam fratres (ſic enim dicemus apud eos fabulantes) ſed cú deus formaret, quicunq; veſtrûm ad imperandú idonei nati

 ſunt,

Nota Ariſto. lib. Polit. 2. capite 3.

ſunt aurum in eorũ generatione ipſis admiſcuit, propter quod honoratiſſimi ſunt. Illis autem qui ad auxiliandum, argentum. Ferrum denique atq; æs, agricolis & aliis opificibus. Tãquam igitur eiuſdem generis omnes, ſimiles vobis plurimum generatis. Euenit autem quandoq; vt ex aureo naſcatur argẽteus, & ex argenteo ſimiliter aureus, cæteráque ita viciſſim. Quapropter ipſis principibus & primo & maximè Deus præcipit, vt nullius rei maiorem curam cuſtodiámque ſuſcipiant quam natorum, vt dignoſcant quid ex (quatuor) his, illorum animis ſit immixtum: & ſi quis ex ipſis naſcatur ſubæreus aut ſubferreus, nullo pacto miſereantur, ſed honorem naturæ cõuenientem tribuentes, ipſum ad opifices vel agricolas transferant. Rurſúsque ſi ex illis naſcatur aliquis aureus vel argenteus, honorantes extollant, illũ quidẽ ad cuſtodes, hũc ad auxiliarios: quaſi oraculũ ſit tum rempublicam peritur**ã**, cum ipſam vel æneus cuſtos, vel ferreus gubernauit. Habéſne quomodo huic fabulæ fidem adhibeant? Nullo modo, inquit, quo pacto iſti: quo autẽ modo iſtorũ filij ac reliqui poſteri, habeo. At hoc bene ſe haberet ad maiorẽ curã ciuitatis, & inter ſe mutuo habendã. Fermè quod dicis intelligo. Et hoc quidem illuc tẽdet, quò oraculum perducet. Nos autẽ hos terra gẽnitos armãtes ducẽtibus principibus producamus. Profecti autẽ explorent vbinam in ciuitate ſit optimũ caſtra ponere, vnde, & eos qui intus ſunt, maximè cohibeant, ſi quis nolint legibus ipſis obtemperare: & eos qui extra repellant, ſi hoſtis tanquam lupus ouile inuadat. Cùm verò caſtra poſuerint, & quibus oportet ſacrificauerint, tabernacula ſtruant. Sícne? an aliter? Sic certè. Num huiuſmodi qualia cõtra hyemes & calores ſufficiant? Quídni? habitationes enim dicere mihi videris. Sic aio, ſed militares, non opulentas. Quo differre aſſeris hoc ab illo? Conabor equidem declarare. Grauiſſimum quippe omnium, & turpiſſimum paſtoribus eſſet, ſi ita canes gregis cuſtodes futuros nutrirent, vt ex intemperantia, aut ex fame, aut ex aliqua alia mala conſuetudine, canes ipſi aggrediantur pecuaria lædere, & pro canibus ſimiles lupis efficiantur. Graue, inquit. Omnino itaque nobis cauendum, nequid tale aduerſus, ciues efficiant, qui defenſores adhibẽtur, cùm ipſis valentiores ſint, neque beneuolorum loco ſociorũ, agreſtibus dominis ſe ſimiles præbeant. Cauẽdum ſanè. Nónne maxima eſſet adhibita cautio ſi reuera præclarè educati ſint? Atqui ſunt quidem iam antea, inquit. Hoc quidem, ô amice Glauco, aſſeuerare non decet: quòd autem nuper dicebamus, nimirũ decet, quod oportet ipſos rectam, ſiqua eſt, conſequi diſciplinam, ſi modò quod maximum eſt ad mãſuetudinẽ, tum in ſeipſos, tum in eos quos cuſtodiunt exercendã, conſecuturi ſunt. Et rectè quidẽ. Ad hãc igitur diſciplinam quiſque ſanæ mẽtis diceret, habitationem, & reliquã ſuppellectilẽ, ita adhibendam, ne ipſos quò minus optimi viri eſſent prohiberet, neq; eos ad cæteros ciues lædendos impelleret. Et verè quidẽ. Inſpice igitur an tali quadã ratione eos oporteat & viuere & habitare, ſi quidem futuri ſint tales. Primò quidem nemo proprium quicquã poſſideat, niſi quatenus ſumma cogat neceſſitas. Deinde neq; domũ, neq; penu habeant, quò non omnibus pateat aditus. Quæ verò ad victum pertinent, tanta ſint apud eos, quantis indigẽt militares athletæ tẽperantes ac fortes: accipiantq; ex inſtituto ab aliis ciuibus mercedis tantũ cuſtodię gratia, vt ex annuis ſumptibus neq; deſit quicquam, neque ſuperſit. Conferentes autẽ ſe ad comeſſationes, perinde atq; in caſtris, cõmuni veſcãtur cõuiuio. Dicendumq; eſt illis, aurũ & argentũ diuinũ ſemper in animis habere, neq; humano auro indigere, neq; ſanctum eſſe, illius poſſeſſionẽ admixtione mortalis auri inquinare. Nẽpe quòd ex vulgi pecuniis multa impia prouenerunt: quod verò ineſt illis aurũ prorſus incorruptũ. Profectò ſolis ipſis ex omnibus qui ſunt in ciuitate, tãgere aurum aut argentum, aut ſub tecto ſuo recipere, aut circũferre, vel ex ea materia bibere, nefas. Hoc ergo pacto & ſibi & ciuitati ſalutem parerent. Si quando verò domum ſibi aut agrũ aut pecuniam priuatim poſſederint, adminiſtratores familię, & agricolę pro cuſtodibus erunt, & vice eorum qui ciuibus auxilio ſint, domini eorum infenſi efficiẽtur: & ipſi odio habiti, odióque alios habentes, & inſidias parantes, viciſſimq; patientes, vitam vniuerſam degent. Vbi multo magis ciues quàm externos hoſtes timebunt, accedẽntque iam tunc proximè ad perniciem ipſi quàm reliqua ciuitas. Horum igitur inquam, omniũ cauſa, dicamus cuſtodes ipſos circa domum & reliqua omnia ita inſtructos eſſe debere. Hæcq; lata ſit lex, nónne? Sic eſto, inquit Glauco.

Notat hunc locum Ariſtoteles li. Pol. 2. cap. 2.

DIALOGVS QVARTVS DE IVSTO.

MARSILII FICINI ARGVMENTVM.

Traditur in quarto libro modus poſſeſſionis atque ciuitatis, vt neque diuites nimium ciues ſint, neque pauperes. Putat enim tã ex nimia copia quàm inopia ſeditiones oriri ciuitatémque diſſipari. Iudicat præterea ciuitatem illam non eſſe vnã, ſed plures, in qua alij quidem pauperes ſint, alij verò diuites, atque vt fieri ſolet, diuites contemnant pauperes, hi verò erga illos & inuidia afficiantur & odio. Vnde ſenſim deſcendit ad myſterium ſuum, vt omnia videlicet ſint communia, ne alij minus, alij verò plus habeant, & inde inuidiæ, mendacia, furta, & hinc luxuria, ſuperbia, pigritiáque naſcantur. Adde quòd poſſeſſio rerum tam excedens quàm deficiens non ſolùm moribus & concordiæ, ſed ingenio etiam & artibus obeſt. Docet nõ diuitiis, ſed virtute ſeruari ciuitatẽ, magnáq; gerere. Item quamlibet ciuitatis partẽ non ita diſponẽdam eſſe, vt in ſeipſa, quàm optimè habere ſe videatur, ſed vt cunctis conferat, communique ciuitatis totius cõducat bono. Alioquin neque ciuitatem ipſam, neque partes vllas poſſe conſiſtere. Addit præterea ciuitatis augendæ modum, quatenus ſcilicet ciuitas vna permaneat. At cum primum perdi vnitas poſſe videtur, non eſſe vlterius augendam. Præcipit ergo vt neque exigua, neq; vaſta ſit ciuitas, ſed mediocris æqualiſq; & concors, quo eius vnitas conſeruetur. Quoniam verò meſſem fruſtrà ſperat qui negligens fuit in ſeminando, idcirco totũ ſtudium circa pueritiam adoleſcentiámque adhibẽdum eſſe iudicat, quaſi circa meſſis vrbanæ ſementem, adeò vt etiam verborum, ludorum, geſtuúmque ſingulorum ratio diligens circa pueros adoleſcentéſque habeatur. Alioquin ſi negligatur hæc ætas, non aliter circa leges quotidianas fruſtrà laboratũ iri, quàm ſi quis pharmacis eum quotidie curare contenderit, qui nullum ſeruare velit in victu temperantiæ modum. Inter hæc conſidera ludos in ſtudia ſenſim, moréſque couerti. item ſicut homini & natura robuſto, & victu prudenti atque temperato, nullis penè vnquam opus eſt medicinis: ita ciuitati & optimè ab initio conſtitutæ, & in ea forma perſeueranti, neque multis ab initio legibus, neque quotidianis deinceps cõſtitutionibus opus eſſe. Malas verò reſpublicas, in quotidiana quidem per nouas leges curatione verſari, nunquam verò bene valere. Quapropter in hac republica tanquam optima. Plato nullum circa leges adhibuit ſtudium, ſperãs prudentes bonóſque viros leges eſſe viuentes. De legibus verò ſacris quid? Multo certè minus in his cenſuit laborãdum. Nemo enim qua ratione colendus ſit Deus intelligit vnquam, niſi prius intelligat Deum. Diuinum verò ſolem, niſi ipſo diuino ſole ſe monſtrante, videre non poſſumus. Petendas ergo religionis leges ab Apolline, id eſt diuino lumine indicat: petendas inquam non lingua, ſed purgata mente, atque ſerena. Mitto quid hic de hiſtoria tangat oraculorum. Hęc enim notiſſima ſunt. Allegoricè verò ſignificat Apollinem, id eſt diuinum lumen: ſedere, id eſt, firmiter adeſſe: mediæ terræ, id eſt vbique rerum omnium penetralibus. In vmbilico conquieſcere, id eſt in mente à ſenſibus ſegregata, atque inſtar figuræ motionis que ſphericæ in ſe reflexa. Præterea Apollinem omnibus eſſe patrium, id eſt præſentem & familiarem, atque proprium: patrem quidem naſcentibus, patriam denique reuertentibus. Conſtituta verò republica deinceps quatuor in ea virtutes agnoſcit. Prudentiam in principibus, id eſt rectè cuſtodiendi conſulendique ſcientiam. Fortitudinem in militibus, id eſt, firmam ſententiam inuitis tam illecebris quàm minis audendi pro patria in periculis, quatenus leges magiſtratúsque præcipiunt. Temperãtiam in principibus ſimul & militibus, atque artificibus, id eſt conſenſionẽ quandam qua libenter cuncti conueniunt, vt alij quidem imperent, alij pareant: & inter eos qui parent, alij quidem in bello, alij in opificio pareãt: neq; ob voluptates vllas conſenſio talis impediatur, imo cupiditates inferiorum, ſuperiorum imperio conſilióque obtemperẽt. Iuſtitiam quoque in omnibus per quam ſuum quiſq;, id eſt, ad quod natura & ſtudio eſt aptiſſimus, opus munuſq; exequitur tam publicè quàm priuatim communis commodi gratia, neque quiſquam ſibi vendicat alienum. Quod autem temperantiam appellauit, Diapaſon harmoniam intellige. Diapaſon cõſonantiam reſultantem ex dupla tenſionis, velocitatis, vehemẽtiæ proportione ad id quod duplo remiſſius eſt, tardiúsq;, & lenius. Ex qua quidem proportione dupla cõſurgit acutæ, id eſt, octauæ vocis exceſſus ad grauem, nec immeritò. Prima enim proportio dupla inter duo & vnum. In qua quidem proportione binarius numerus dum ſuperare videtur, vnũ recreat, & geminat vnũ. Binarius deinde dũ mouetur ac reuoluitur in ſeipſum, octo producit numerum ſolidum. Bis enim duo bis, octo cõficiunt. Dicitur autem Diapaſon, id eſt per omnia. Conſonantia enim eiuſmodi, & omnes intra ſe cõtinet, & replicatur in omnibus. Nec ab re Plato inquit, temperantiam, quaſi Diapaſon extendi per ſummos ciues infirmósque & medios. In octaua enim & grauis vox, & acutiſſima eſt. Sunt & mediæ. Sed vt ad iuſtitiam redeamus, quemadmodum in diapaſon conſonantia vox octaua cum graui adeò conſonat, vt quæ vox gemina eſt appareat vna: ſic in bene compoſita ciuitate, temperantiæ grauitas cum iuſtitiæ robore tam aptè congruit, vt duę hæ virtutes vix inuicem diſcernãtur. Et vide quàm opportunè ex diapaſon conſonantia vocis octauæ, Socrates ſe conferat ad iuſtitiam apud Pythagoricos octonario numero deſignatam. Cùm enim iuſtitia ſit æqualis omnino pro cuiuſq; meritis diſtributio, ciuitatiſq; ſolidum fundamentũ, iuſtè per octonarium deſcribitur numerũ. Hic enim numerus & ſolidorũ primus eſt, primúſque omniũ in numeros ita ſoluitur pariter pares, hoc eſt in bis quaternos, vt nihilominus in numeros ęque pariter pares diuiſio quoq; ipſa ſoluatur, id eſt in bis binos, rurſusq; qua æqualitate reſoluitur, eadem quoque contexitur. Nam bis bini bis, octonarium, vt dixi, conſtituunt æqualitatis iuſtæ ſimulachrũ. Quapropter Orpheus vbicunq; diuinã iuſtitiã obteſtari volebat, per numina octo iurabat, ignẽ, aquam, terrã, cælum, lunam, ſolem, planetamq;, & noctẽ. In Aegyptia quoq; columna in ſignum iuſtitiæ poſita numina octo notabãtur inſcripta, quemadmodũ teſtatur Euander, Saturnus, Rhea, Oſiris, ſpiritus, cælum, terra, nox, dies. Denique cæleſtis iuſtitiæ ordinem ſphæris octo digeſtum eſſe omnis arbitratur antiquitas. Socrates poſt hæc oſtendit iniuſtitiã eſſe ſubitum ciuitatis exitium, quãdo aliena ſinguli vſurpantes omnia perturbant atq; confundũt. Iuſtitiã verò ciuitatis ordinem eſſe atq; ſalutem. Proinde ex maniſeſtiori hac ciuitatis iuſtitia, ad occultiorẽ trãſit in animo quaſi latentem. Diuiditque trifariã animi vires, in rationẽ loco principis, & vim iraſcendi vice militũ, naturamq; concupiſcendi opifici ſimilẽ. Probátq; vnam in nobis eſſe animã, cuius, & in qua hæ tres ſunt vires, non loco inter ſe, ſed proprietate diſtinctæ. Quod quidẽ & Peripateticos quoſdã latratores refellit, & cuilibet diligenter legẽti poteſt fieri manifeſtũ. Hanc verò diſtinctionem adducit, vt pateat quomodo inter ſe anima atq; ciuitas, & illius & huius iuſtitia ſint perſimiles. Inquit ergo, Cùm nequeat anima per eandẽ ſui vim circa idem ſimul oppoſita facere, neceſſe eſt eam tres ſaltẽ vires habere. Quippe cũ eodem in tempore per libidinẽ rapiatur ad voluptatẽ, & per rationem interim reuocetur. Itẽ per libidinẽ retrahatur à prælio, per iracundiam prouocetur ad pugnam. Ex quibus patet rationẽ eſſe à libidine differẽtẽ, & ab eadẽ differre etiã iraſcendi vigorẽ. Differre quoq; hunc à ratione patet, tum in pueris nondũ vtentibus ratione, iracundia tamen valdè feruẽtibus, tum in aliis multa per iram præter rationis legem agentibus. Propinquiorem verò iraſcendi vigorẽ rationi ex eo eſſe probat, quod indignatio ſæpe rationi opitulatur contra libidinem. Cõcludit deinceps iuſtitiam vnà cum temperantia eſſe legitimam quandam conſenſionem, tum in cuiuſlibet animo trium quas diximus partium, tum in ciuitate trium his partibus conſimilium. Conſenſionem inquam in gubernando, exequendo, obediendo, atque in propriis muneribus peragendis, & alienis non vſurpandis. Nec immeritò hic iuſtitiam temperantiæ germanam, nominat harmoniã, ex acutis vocibus & grauibus, mediiſq; conſtantem, vocibus inquam principes & quæſtuarios medioſq; horũ milites referentibus. Deinde vt quæſtioni iamdiu adductę reſpondeat, quærenti quidnam iuſtitia iniuſtitiáque in animo pariant, dicit, virtutem eſſe animi ſanitatẽ pulchritudinémq; & robur: vitium verò morbum, turpitudinem, imbecillitatẽ. Siquidem virtus cunctas animæ partes, vt ſtatuit natura, diſponit & ſeruat. Vitium verò contra naturæ ordinem confundit atque perturbat. Quoniã verò quando deprauata omnino corporis eſt natura, præſtat mori quàm viuere, etiam ſi externa nobis abundè ſuppeditentur, idcirco concludit illius vitam tanquam miſeram eſſe ab omnibus fugiendam, in quo anima per quam viuimus per vitium eſt deprauata. Poſtremo in ipſo libri huius calce aſſerit eiuſmodi animam ciuitatémque quam deſcripſit, optimam eſſe atque feliciſſimam. Animam ciuitatémq; regiam, à regina videlicet hominis ratione diſpoſitam. Addit eiuſmodi gubernationẽ tum regiam appellari, quando inter multos bonos excellat quidam manifeſtè omnium præſtantiſſimus: tum repub. optimatum, quando plures pariter videantur excellere. Omnino verò eandem eſſe gubernationem exiſtimãdam. Annuit quoque ſe in ſequenti libro quatuor reliquas, tum animorũ, tum rerum publicarum affectiones ordine diſtincturum.

Nota Ariſtoteles lib. Pol. 2. cap. 3.

HIc Adimantus reſpondens, Quid ô Socrates, afferes, inquit, ſi quis te dicat non multum hos viros beatos efficere, cùm tamen ipſi ſint quorũ reuera eſt ciuitas, nihil autem ex bonis ciuitatis accipiãt, quemadmodum alij, qui & agros & magnificas domos ſuppellectilemq; huiuſmodi domibus cõuenientẽ poſſidẽt, ſacráque diis priuata faciunt, hoſpites excipiunt, & ſanè quæ tu nunc dicebas, aurũ & argentũ adepti, & quæcunq; ad felicitatem cõferre putantur: iſti verò tãquam auxiliarij quidam mercede cõducti in vrbe ſedent, nihil agentes aliud quàm cuſtodiam? Certè, inquam ego, vt qui victum præterea ſolum recipiãt, nẽq; mercedem vltra victũ, vt alij. Quocirca neque ſi proficiſci priuatim aliò velint, licebit ipſis, neq; quicquam * ſcortis largiri, aut ad quæuis alias pecunias erogare, eorum more qui beati putantur. Quæ tu & alia multa huiuſmodi repræhenſione digna prætermittis. Atqui, inquit Adimantus, ſint & iſta in accuſatione compræhenſa. Quid igitur reſpõdendum eſſe ais? Sanè. Eandem, inquam, viam illam ingredientes, inueniemus, vt arbitror, quæ ſint dicenda. Dicemus porrò nihil mirum fore, ſi ita iſti feliciſſimi ſint. Non tamen ad hoc reſpicientes conſtituimus ciuitatem, vt vna aliqua nobis gẽs ſit maiorem in modum felix, ſed vt quàm maximè ciuitas vniuerſa. Speramus enim in huiuſmodi ciuitate iuſtitiam maximè inuenire: contrà verò in ea quæ peſſimè inſtituta eſſet, iniuſtitiam. Quibus inſpectis, facilè nos quod iamdiu quærimus, iudicaturos exiſtimauimus. Nunc ſanè, vt opinamur, beatã fingimus, nõ vt pauci quidem in ea beati ſint, ſed vt ciuitas tota. Deinceps autem contrariam contemplabimur: quemadmodum enim ſi quis nos figuram hominis depingentes vituperet, quòd pulcherrimis animalis partibus non pulcherrimos etiam colores apponamus: oculi ènim pulcherrimum membrum non purpura, ſed nigro colore eſſent depicti: decenter vtique reſpondere videamur, ô mirifice, nõ oportet

**Græcus codex, Alias, legiſſe t med aliter videt.r.*